

Fab. Sec. Coll. Rom. Soc. J.



AD

ALEXANDRVM VII.

PONT. MAX.

OBELISCI AEGYPTIACI

nuper inter ISAEI ROMANI rudera

EFFOSSI

INTERPRETATIO

HIEROGLYPHICA

ATHANASII KIRCHERI

E SOC. IESV.



ROMÆ, Ex Typographia Varesij. MDCLXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISSIMO PATRI
ALEXANDRO
SEPTIMO
PONT. MAX.

FAELICITATEM PRECATVR

ATHANASIVS KIRCHERVS.

OBELISCVS hic Aegyptiacus post tot ſeculorum Aetatumque tranſactos annos, luculento ſanè plenæ felicitatis omine, eo Vrbi ORBIque illuxit tempore, quo eidem TV ALEXANDER VII. P.M. ſuprema cum poteſtate præeſſes. Hunc ego vti argutis confertum ſphyngibus, ita arcanioribus doctrinæ tumidum myſterijs,nemini meliori iure quam TIBI GLORIOSISSIME Pontifex, diuinæ humanæque ſapientiæ oraculo conſecrandum duxi;tum vel maximè ad id audendum impulſus admiranda illa TVA, quà polles, in abſtruſioris Literaturæ receſſibus enucleandis magnæ mentis capacitate & opulentia; tum ob ſublimium rerum, quod faſtigiata moles continet, argumentum, Pontifi-

ciæ

ciæ dignitatis prærogatiuis ita aptum congruumque, vt prisci Mempheos Hieromystæ in eo elaborando concinnandoque miris symbolorum allusionibus ad eas etiamtùm respexisse videantur; Si enim huius Obelisci abdita perspicaciori mentis oculo paulò penitius introspiciamus, nil nobis obuersabitur aliud, quam arcanum quoddam diuinioris Naturæ sacramentum, sublimibus vndique & vndique inuolutum mysteriorum sensibus fæcundum: vt proinde per huiusmodi moles, priscorum temporum Mystæ non sine ratione, tum ad supremi Opificis, seu spiritus supramundani, in rerum conditarum administratione omnia in omnibus operantis effluxum; tum ad politici Mundi gubernationem, iuxta supramundani spiritus archetypon constituendam mira ingenij felicitate & solertia alluserint. Quæ sanè si iuxta intentam à priscis analogiam, ideales conceptus prosequamur, hanc Mundi animam, nulli aptius Scitiusque conuenire comperiemus; quam TIBI Pontifex sapientissime, qui vti diuini Numinis in Terris vices agis, ita quoque potestatis TIBI à DEO traditæ plenitudine in quadruplices Mundi plagas diffusà, quid aliud agis? quam participata cœlestium charismatum irradiatione, cuncta militantis Ecclesiæ membra, non animare duntaxat; sed & bonorum operum fructibus quam affluentissimè fæcundare; imò vltra Solis Lunæque vias diuinitus TIBI concessis clauibus Empyrei regni solus in Terra portas aperis, claudisque? Quid aliud inter hieroglyphicas notas Seira illa, id est trium Mundorum concatenatus nexus exprimit, nisi virtutum Tuarum verè cœlestium encyclopædiam, quam hoc loco amplissimè explicare possem, si orbis Terrarum eam aut ignoraret, aut incomparabilis modestia TVA, gestientem calamum non

sisteret

ſiſteret. Sileo hic animi magnitudinem, quà Vrbem Vrbium exornaſti; Loquuntur templa domi foriſque incredibili ſplendore & magnificentia exſtructa; deprædicat Vaticani Theatri, cui parem hucuſque Orbis non vidit, ſtructura; decantat admirandum Cathedræ Diui Petri monumentum, queis Veterum Romanorum Opera non dicam adæquaſti, ſed & ſuperaſti. Tu igitur vnus huius operis tutor legendus eras, qui partum hunc nouum & raritate inſolitum, non tantum, qua es incredibili ſapientia præditus dijudicare poſſes, ſed & eundem aduerſus obtrectatorum contentionem authoritate confirmare TVA, & amplitudine potentiæ tutum illius nouitati adſerre præſidium. Vt proindè nil reliquum ſit, quam vt Obeliſcus hic priſcorum Sapientum glorioſo Nominis TVI ſplendori erectus in quadripartiti Mundi partes abeat, narret Europæ, Aſiæ deprædicet, Africæ exponat, extollat Americæ ALEXANDRVM VII. Pont. Max. cuius reuixit auſpicijs, cuius imperio reſtitutus eſt. Vale Chriſtianæ Religionis Hierarcha Pontifex Maxime Vale in currentis ſeculi felicitatem.

Datam è Collegio Romano Kal. Iunij 1666.

Schema hieroglyphicum Libri idęam exhibens.



PRAEFATIO

Beneuole Lector.

TRIA iam annorum lustra vertuntur, cum vastum illud Oedipi Aegyptiaci Opus sub Auspicijs FERDINANDI III. Cæsaris sapientissimi in lucem edidi, in quo viginti annorum decursu, dici vix potest, quanto labore, in ignota huiusmodi Hieroglyphicorum doctrina enodanda id mihi steterit; Etenim quot difficultatum Scopuli superandi? quot quamque inculta, inuia & deuia deserta adeunda, cum quantis Pantomorphæ Naturæ Monstris dimicandum fuerit, solos illos nosse existimo, qui similia attentaturi, mox insuperabili difficultatum superandarum labore territi, veluti disperatione in transuersum acti, protinùs à proposito sibi tramite destiterunt, nec mirum: dum quod obliuiosa Temporum vetustas in tenebris, vix vlla spe ad scopum pertingendi relicta, latere voluit, id tentare præsumptuosiùs, nè dicam assequi, oppidò audax facinus esse sibi persuadebant; dum experimento docti norant, quàm difficile, arduum ac plenum aleæ opus sit, sine luce præuia, sine duce horrendos & confusos huiusmodi syluarum recessus ingredi; sine Ariadnæo filo perplexis huiusmodi Labyrinthis sese committere; Certè si vllus, ego cumprimis id experimento me didicisse fateor; quàm in principio semper mihi animus fuerit in omnibus anxius, quàm dubia & intricata mens, quanta animæ corporisque contentione; dum vix pedem sine offendiculo, vix passum sine indomitis Monstris vbique obuijs, vix denique cubitum sine scopulorum rupiumque obstaculis progredi liceret. Veruntamen cum ita mihi à natura insitum sit, vt nil gloriosius, aut præstantius esse censeam, quàm in huiusmodi literatura nodis dissoluendis, ingenij, quantum fieri potest, vires experiri, & quid humeri valeant, quid ferre recusent, tentare; vt si occultos adytorum recessus non omninò penetrare, saltem aliquousque, vel per rimam introspicere concederetur; Si neque hoc, saltem honorificum esse rebar, vel ipsum conatum in Diuinæ laudis meritum reponere. Dum itaque in hoc mentis æstu perplexus hæreo, nescio Diuinane, an humana prouidentia acciderit, vt de meis moliminibus per Prodromum Coptum euulgatis Literati complures certiores facti, tantum egerint, vt non duntaxat egregijs librorum subsidijs, sed & Magnorum Virorùm Principumque literæ ad concepti operis telam prosequendam, me non tam animarint, quàm compulerint; vndè seriò tandem ac constanter ad institutum promouendum, animum adijcere mihi visum fuit; Quarè dum indefesso labore ex veterum Authorum monumentis omni penè linguarum genere scriptis, singula cum singulis sollicitiùs comparo, necnon Combinatoriæ Artis amussi, omnia cum omnibus & singulis penitiùs exploro; contigit tandem, vt ludibundæ Sphyn-

gis τεχνάσματα & machinas subolfaciens in recondita, eiusque inaccessa hucusque adyta paulò altiùs intromissus, extincta iam Sphynge, griphisque propositis dissolutis, totius hieroglyphicæ Artis arcana, regulas, canones & instituta, Diuini Numinis aspirante gratia (quæ vti in suu velle, posse, & perficere operatur, ita quoque sine ea non modò nil boni agere, sed ne cogitare quidem possumus) plenè comprehenderem.

Intereà Oedipo in lucem iam edito, non defuere, qui subministratis nouis semper nouisque Hieroglyphicæ literaturæ monumentis, vt ea à me pari felicitate explicarentur obnixè contenderent, nummorum quoque subsidijs abundè suppeditatis sollicitare non desisterent; quos inter Serenissimus S. R. I. Princeps & Dux Brunsuicensis & Luneburgensis, Principum literatissimus mirum in modum se munificum exhibuit, quibus enodandis cum magna animi contentione insisterem, ecce Obeliscus præsens eodem tempore in Isidis Romanorum Veterum septis detectus nouum mihi ingenij exercendi argumentum præbuit, & quemadmodum à Sapientissimo Pontifice ALEXANDRO VII. eius mihi interpretandi cura commissa fuit, ita quoque omnibus alijs supramemoratis monumentis in secundam Oedipi editionem dilatis, vrgente præcipuè Summi Principis imperio quantocyus è suis euolutam latebris publici iuris feci. Est autem hic ex minorum Obeliscorum numero vnus, quorum, Pub. Victore teste, quadraginta quatuor Romanorum Cæsarum, tùm curiositas, tùm magnificentia in æterna Vrbis ornamentum aduexerat, quem accurata interpretatione hoc præsenti libro expositum, beneuoli Lectoris iudicio sisto. Librum in IV. Sectiones partiri visum fuit, quorum prior continet ad perficiendam interpretationem necessarias præiusiones. Secunda, ipsam actualem hieroglyphicorum, quibus Obeliscus inscribitur, interpretationem exhibet. Tertia Sectio priscam Aegyptiorum sapientiam continet, quæ ad ea, quæ in Obelisci enodatione exposita sunt, rectè intelligenda, veluti iure quodam requiri videbatur; in hac enim Hierophantarum in sacris sculpturis potissimùm scopus & intentio exhibetur; & haud immeritò ad arcanos hierogrammaticæ Literaturæ recessus aperiendos, clauis dici potest, quam quicunque rite intellexerit, eum Mystarum veterum in tot tantisque ritibus & cærimonijs circa diuini & supremi Numinis, religionisque cultum institutis, intentionem non posse non concipere fidenter asseram; atque ex his tandem luculenter patebit: quomodo cultus huiusmodi à Trismegisto sincerè traditus, tandem Satanæ calliditate, in apertum conclamatamque idololatriam degenerarit. Quarta Sectio tenet Obeliscorum quorundam fragmenta, quæ Romæ vel terrenis quisquilijs obruta adhuc supersunt, vel murorum angulis inserta spectantur; quibus accedit eius, quæ post vltimam Oedipi editionem, è diuersis Mundi partibus ad Authorem transmissa fuit, non negligenda hieroglyphicæ literaturæ supellex; & Oedipi supplementum merito dici potest. Restat, vt eorum quoque nomina, qui operam suam ad huius libri editionem egregiè contulerunt commemorem. Cum enim in Obelisco prius delineando, eiusque interpretatione componenda, varijsque figuris exornanda

nanda

nanda nonnulli sumptus requirerentur; illos Illustrissimus & Reuerendissimus Ioannes Fridericus S.R.I. Comes à Vvaldstein, ALEXANDRI VII. Pont. Max. dignissimus, quem ab honore vocant, Camerarius, vti animum virtutibus instructissimum, necnon ad ardua & summa in boni communis causam praestanda semper intentum habet; ita quoque pro suo in Remp. Literariam promouendam zelo & sollicitudine, supramemoratos sumptus liberali manu subministrauit.

Hunc secutus inclytus & sapientiae studio cum primis clarus Carolus Antonius Magninus, quicquid in suo Musaeo antiquitatum Aegyptiacarum promocondo rarum, & insolitum habuit, meum in vsum obtulit, vt interim non praeteream Iacobum Albanum Ghibbesium Anglum, Rhetoricae in Romano Athenaeo professorem; ob omnigenam eruditionem orbicam notum qui pro ingenij sui elegantia, non pauca, quae ad institutum nostrum faciunt versibus illustrauit; Caeterorum in contextu libri mentio fiet. Protestor denique, me in hoc opusculo nil ex mea sententia, sed ex veteris sapientiae Institutorum mente allaturum; quorum vti nudum interpretem ago; ita quoque ad ignotae hucusque disciplinae rationem Reip. Literariae elucidandam, meam qualemcunque conferre operam haud indignum operaepretium existimaui. Sintque adeò omnia ad diuini Numinis gloriam, ac publici boni emolumentum. Vale captisque faue.

CHRONOLOGIA

REGVM, CAESARVM ET PONTIFICVM

Qui
Obeliſcorum erectione æternam ſibi apud Poſteros famam peperere, à Sothi filio Manuphti vſque ad ALEXANDRVM VII. P. M. extenſa.

Etſi huiuſmodi Chronologiam quàm fuſiſſimè à Chamo & Miſraim, primis poſt Diluuium Aegypti Dominatoribus vſque ad Innocentium X. P. M. in Obeliſco Pamphilio deduxerimus, eam tamen hoc loco in epitomen quandam contractam, & ad ALEXANDRI VII. P. M. tempora extenſam, reiterandam duximus.

	Anni poſt Diluuium.	Ante Christum.
Sothis Manuphtæ filius, conceptam à Patre ſuo Obeliſcorum erectionem magno animo executus, octo, teſte Plinio, Heliopoli vnà cum filio Rameſſe, erexit.	1028	1366
Rameſſes filius Sothis Rex Aegypti, poſt mortem Patris, omnium maximum Obeliſcum eorum, qui vnquam in Aegypto elaborati fuerant, Thebis erexit, & eſt ille, quem Conſtantinus Cæſar olim in Circo Maximo, poſteà Sixtus V. P. M. erutum in Campo Lateranenſi reerexit.	1097	1297
Seſoſtris Rex Aegypti potentiſſimus duos Obeliſcos teſte Plinio, erexit.	1237	1157
MOMPHENCVR filius Seſoſtris, corruptè à Plinio dictus Nuncorius, ingentem Obeliſcum, at raſum erexit, quem poſteà Caius Caligula Cæſar in Campo Vaticano erexit, & Sixtus V. ibidem reerexit. Vixit Momphencur anno	1292	1102
SIMARRES. ſiue SIMENDES, quæ vox Aegyptiacè ſacrum Hircum notat: complures, teſte Plinio, erexit Obeliſcos in Aegypto; quinam verò illi fuerint, nè ſciremus, temporum vetuſtas nobis inuidit. Vixit	1331	1064
MARRES & APHRES Reges Aegypti, nonnullos erexerunt Obeliſcos, ſed raſos, quos poſteà Claudius ante Mauſolæum Auguſti erexit. vixerunt hi Reges.	1366	1028
PSAMMIRTAO, quem Plinius Sennefertæum appellat, Heliopoli erexit illum ex maioribus vnum, quem		

	Anni post Diluuium.	Ante Christum.
quem Augustus Romam aduectum erexit in Circo Maximo; hodiè ante Ecclesiam B. Virginis de Popolo, à Sixto V. P.M. erectus spectatur. Vixit Psammirtao.	1587	807
NECTANABIS Rex vltimus Aegypti Obeliscum prægrandem erexit Memphi, quem indè auulsum Rex Ptolomæus Philadelphus Alexandriæ in Templo Arsinoes erexit, sub ijsdem Romæ conditæ temporibus anno	1654	740
Hoc tempore Cambyses Rex Persarum Aegyptum inuadens, omnes Obeliscos prostrauit, Sacerdotes trucidauit, abolita Aegyptiaca doctrina.		
AVGVSTVS CÆSAR pulsis Græcis, Aegyptum occupans Romanò adiunxit imperio, primusque fuit, qui Obeliscos ex Aegypto auectos, vnum in Circo Maximo, alterum in Campo Martio, horis monstrandis aptum erexit.	2397	Post Christum. 1
C. Caligula Obeliscum à Momphencure olim in Aegypto erectum Romam aduectum in Circo Vaticano, Sixt. V. P. M. ante Basilicam S. Petri reerexit.	2438	41
CLAVDIVS Cæsar, duos Obeliscos, sed rasos ex Aegypto translatos ante Mausolæum Augusti erexit.	2454	57
Quorum vnus à Sixto V. erectus spectatur ante Aedem Liberianam S. Mariæ Maioris; alter ruderibus dicti Mausolæi obrutus adhuc delitescit.		
ANTONINVS CARACALLA Cæsar Obeliscum erexit in Hippodromo suo, in Via Ardeatina. quem posteà Innocentius X. P. M. erexit in Circo Agonali.	2647	250
CONSTANTINVS Magnus Obeliscum omnium maximum transuexit Alexandriam, vt eum in noua Roma, Constantinopoli erigeret; sed cum morte præuentus id præstare nequiret.		
CONSTANTIVS Cæsar eius filius illum Romam translatum erexit in Circo Maximo.	2746	343
THEODOSIVS Imperator alium erexit Constantinopoli.	2786	381
SIXTVS V. glor. mem. ingenti animi magnitudine incitatus, prostratorum à Gothis Obeliscorum erectionem, primus ex Pontificibus molitus est; In Campo quidem Vaticano, Caij Caligulæ, Ramesseum à Constantino Cæsare in Circo Maximo olim erectum in Campo Lateranensi reerexit.	3990 3985	1586 1588
SMARRÆVM à Claudio olim ante Mausolæun Augu-		

	Post Diluuium.	Post Christum.
Augusti erectum reerexit ante Basilicam Liberianam S. Mariæ Maioris.	3991	1587
Psammirtanum olim ab Augusto in Circo Maximo erectum reerexit ante ædem B. Mariæ Virginis de Popolo.	3986	1589
Hunc secutus INNOCENTIVS X. Pont. Max. Obeliscum Sothis Regis Aegyptij, ab Antonio Caracalla in suo Hippodromo erectum, indè translatum in Circo Agonali, siue foro Romano, vulgò *piazza Nauona*, summa magnificentia erexit.	4043	1649
Tandem ALEXANDER VII. Pont. Max. pro ingenti ad ardua quæuis præstanda, magnæ mentis amplitudine Obeliscum, cuius interpretationem in hoc Libro exhibemus, in foro Mineruæ solita magnificentia erexit.		1666
Det DEVS Opt. Max. huic Sapientissimo Pontifici vitam diuturnam, vt quæ in boni publici emolumentum, necnon in æternæ Vrbis ornamentum alto pectore concepit, toto Mundo applaudente conficiat.		

Bea-

SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

Effoſſo nuper S. Mariæ ſupra Mineruam horto, extitit Obeliſcus Aegyptius. Hic in honorem ALEXANDRI VII. P. M. erigi pro templo debet. Et meritò: Siquidem ſupremo Genio, quem Spiritum, ſeù Animam Mundi vocitabant, erat idem, Cl.V. Athanaſio Kirchero interprete, conſecratus.

ODE

IACOBI ALBANI GHIBBESII, M. D.

atquè in Romana Sapientia Eloq: Profeſs.

ÆGYPTO in medijs numina creuerant
Hortis, nata putri, cùm libuit, ſolo,
Porrum & cepe. Tulit Palladis area
Romana prius aſpici
Portentum, cerebro dignum etiam Iouis,
Et quod Phœbus amet, non tripodi datum
Cuicunque. Hanc Meröe figere CHISIAE
Metam gaudet adorea.
Hac te, SANCTE PATER, Pyramis exprimit
Totum, quam Genio *tecta dicauerat*
Supremo, *metuens ſacra recludere,*
Memphis ſub dubijs notis.
Mundi ſic vegetum dædala ſpiritum,
Velabatquè Animam ritè per omnia
Diffuſam: quod aues quatuor angulis
Cum ſceptro referunt dua.
Nec regni Coluber ſigna plicans vacat;
Atquè anſata ſuper Crux agit indicem
Arcani veteris: doctor vti nouo
Kircherus *monet ordine,*

Horus

Horus Teuto ſui myſtaque temporis.
Tu cunctis Dominus partibus influis
Præſens, tu triplicis iure potentiæ
        Longas clarus habes manus.
Obuerſum quid enim, quiduè ſit inuium
Tellurìſquè, Erebiquè, & ſuper æthera,
Cæleſtis geminis clauibus arbitri,
        Pulcbra ſorte Vicarij?
Te Solis rutili condecet æmulum
Par ſedes, fidei & iuſtitiæ iubar:
Te vitæ celebrat Cor ſpecioſiùs,
        Quàm aut Hemphtam, vel Oſiridem.
Ergò ſtet meritis ardua talibus
Sacras ante fores Machina gloriæ:
Dicet, Non meliùs, *ſi videat Pharos,*
        Poſſet ſtare Dioſpoli.

IN-


1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
Scala di palmi Romani

ALLVSIONES
AD ELEPHANTEM
Obeliſci geſtatorem.

EPIGRAMMA I.

SVſtinet Aegypti veterem noua machina molem.
Et docilis doctum Bellua geſtat onus.
Romuleam Princeps ſic ornat, & erudit Vrbem;
Eruta reſtituit priſca, nouamque facit.

II.

Hic vbi Romulidæ quondam coluere Mineruam
Palladis antiquæ fert Elephantis opes
Quantum Pontificis ſapientia proficit Vrbi!
Erudit ornando, qui ſapienter amat.

III.

Barbara monſtroſis ſapientia ſculpta figuris
Turrigeræ cumulat tergora vaſta feræ.
Cui gerit hanc Elephas? fert munera docta Mineruæ
Saxeus, ingenio Principis ille ſapit.

IV.

Monſtra refert Obelus: latitat ſapientia monſtris,
Bellua, quæ molem geſtat, & ipſa ſapit.
Ad veterem veniunt peregrina tributa Mineruam
Hanc ſub ALEXANDRO, monſtra vel ipſa colunt.

V.

Quæ ſapiens monſtris inſcripſit marmora Memphis
Protulit ingenium Barbara Terra ſuum.
Pondere quæ docto grauis hic ſtetit ante Mineruam
Prompſit & ingenium Bellua docta ſuum.

ELE-

ELEPHAS OBELISCI GESTATOR.

I.

QVæ Solis referunt radios, Aegyptia saxa
Septimo ALEXANDRO munera fert Elephas.
Bellua quam sapiens? Mundo SAPIENTIA solem
Septime TE dedit, hinc munera Solis habes.

II.

Qui dixeram: prudentior
Elephante nulla est Bellua
(Nunc maximis pro Turribus
Elephas Magister artium
Aegyptias fert literas.)
Roma audiente TVLLIVS
Exclamo; nulla Bellua est
Elephante literatior.

III.

In Minerua Forum
Es prudens Elephas: Minerua prudens,
Foro quam bene præsidetis ambo?

INSCRIPTIONES EPIGRAMMATICÆ

In Obeliscum Ægyptiacum.

I.

Analogia Hieroglyphicorum Obelisci

AD

ALEXANDRVM VII.

PONT. MAX.

COMPARATA.

Spiritus intus alens quisnam diffusus in Orbem?
Quisnam agitans molem magno se corpore miscet?

Orbis supremi Typus est Ecclesia Christi
Cuius ALEXANDER CAPVT est, & SPIRITVS Orbis.

II.

ANALOGIA OBELISCI

AD

ALEX. VII. PONT. MAX.

COMPARATA

PYramis extollens precelsam ad sidera molem
Quidnam nosse cupis mystica signa notent?
Est hac Pontificis diffusa potentia in Orbem
Qua suprema pijs pandit ad astra viam.

ARGV-

ARGVMENTVM OBELISCI,

Et de primaua hieroglyphicorum origine, Authorum Orientalium testimonijs confirmata.

EST Obeliscus hic ab Aegyptijs consecratus supremo Genio, quem Spiritum seu Animam Mundi dicebant, & in Sole sedem suam fixisse credebant, quem & nunc Hemphta, modò Baieth, iam Osirim quoque Aegyptiacis nominibus appellabant. Hemphta nominabant, quando Intellectualis Mundi principem Genium innuebant; Baieth, Siderei Mundi Genium in Sole residentem indicabant; Id Aegyptiaca lingua dicebatur Bai eth, Cor vitæ, eò quod Sol esset Cor vitæ rerum omnium: Indigitaturi verò elementaris Mundi Præsidem, Busirin, seu Serapidem dicebant.

Vt itaque hunc Genium apto symbolo exprimerent, Obelisci figuram maximè congruam eligebant, quaternis lateribus in vltimum punctum fastigiatam, quas figuras Aegyptiacè digitos Solis dicebant, vt proindè aptè per huiusmodi Obeliscorum fastigiatas moles significarent, spiritus Mundi, siue Genij Solaris in quadripartitas Mundi partes, influxum; quo cuncta animari, cuncta conseruari, prætereà abundantiam & vbertatem rerum omnium ab vitam necessariarum concedi credebant.

Quia tamen hæc Mundi Anima subindè, ob sacrorum neglectum, & Numinis irreuerentiam, veluti indignabunda grandi sterilitatis strage, alijsque calamitatibus Aegyptum premebat; hinc Sacerdotes ad Numen propitiandum sacrificia instituebant, quibus, varijs ritibus & cerimonijs symbolisque ad proprietates Nûminis aptè constitutis, quæ Obeliscis incidebant, placare contendebant, quæ tantæ efficaciæ & virtutis esse sibi persuadebant, vt nihil non ab eo veluti symbolis hisce Genij naturæ congruis, attracto & violentia quadam allecto, obtinere se posse sperarent.

Hieroglyphicas verò inscriptiones nihil aliud indicasse, quam quæ diximus; ex vetustissimis Authoribus comprobandum existimani; Quam enim hunc symbolicum scribendi modum ab Hermete Trismegisto inuentum, Veteres sapientes fecerint; ex sequentibus, Aegyptiorum, Græcorum, Hebræorum, Arabumque testimonijs luculenter patebit.

Platonis & Aristotelis de Hieroglyphica doctrina iudicium.

QVod in mystica sua Theologia à Platone dictata, & post mortem Magistri ab Aristotele euulgata dederunt, quem deinde in Damascena Bibliotheca inuentam rudi stylo Franciscus Roseus Ranennas ex Arabico primnm in Italicum, & ex hoc Petrus Nicolaus Castellanius

in

in Latinum, pari ſtyli ruditate tranſtulit. Sic autem legitur lib. 1. cap. 1. dictæ Theologiæ.

Intentio inſtituti noſtri in hoc opere eſt, contemplari vniuerſum ſecundum mentem eorum, qui docuerunt per notas figurarum (hieroglyphicas) adeò occultas, vt non alius poſsit ad ſecreta huiuſmodi ſcientiæ peruenire citra difficultatem, quamuis ſit ingenij ſubtilis & recti, nec vtatur negligentia, & deinde lib. 14. cap. 14.

Inter entia Mundi ſuperni nullum eſt nobilius ſubſtantialiter altero; ſed omnia ſunt illic ſecundum formam optimam: ſicuti formæ inexiſtentes animo Architecti, v. g. figuris parieti inſcriptis. Ideo quoque huiuſmodi formas ſupernas vocarunt priſci exemplaria, quales Plato narrauit eſſe ſubſtantias eſſentiaſque inferiorum. Hinc ſapientes Babylonij & Aegyptij acumine mentis introſpexerunt intellectualis Mundi ſpecies complexi, ſcientia aliundè tradita, vel ex ſeipſis inuenta, quam etiam profeſsionem ſibi ipſi vendicarunt, ſiquidem enarraturi aliquid, vtebantur Doctrina intellectuaria, non humanaria, vti nonnulli alij, qui conſulentes eos, adhuc non ſibi viſi ſunt ſatis firmiter diſcere ex ſententijs locutione redditis; conceptus animorum acceptos ſcribebant, vti oculata fide legimus in lapides per figuras; idem in omnibus ſcientijs artibuſque facientes, quos locabant in Templis tanquam paginas perlegendas, taleſque erant eorum libri vtenſiles, quod fecerunt etiam, vt indicarent, quod intellectus agens immaterialis creauit omnia ſecundum propriam eſſentiæ cuiuslibet rationem ſimilitudinemque, quale optimum fuit pulcherrimumque documentum, per quod vtinam etiam indicarent, qua ratione attingerent formas illas mirandas & abſconditas, ſic enim Sacramentum eſſet laude dignius, qualis conditio paucis viris contingit. Hæc Ariſtoteles.

Quæ omnia calculo ſuo approbat Manethon apud Euſebium in Sozomenis; vbi expreſsè dicit, Libros Hermetis ob myſteriorum ſublimitatem in adytis templorum conſecratos fuiſſe literis hieroglyphicis exaratos.

Manethon Sibennita apud Hierophanta Euſebium.

Ἐκ τῶν Μανεθῶ τοῦ Σεβεννύτου, ὃς ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου, Ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδώλων χρηματίσας ἐκ τῆς ἐν τῇ Συριαδικῇ γῇ κειμένων εἰδώλων στηλῶν ἱερᾷ φησὶ διαλέκτῳ καὶ ἱερογλυφικοῖς γράμμασι κεχαρακτηρισμένων ἑλληνίδα φωνῇ γράμμασιν ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τοῦ Ἀγαθοδαίμονος τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ. πατρὸς τε τοῦ κατ᾽ ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγυπτίων ἀπεσφώνησε τῷ αὐτῷ Φιλαδέλφῳ βασιλεῖ δευτέρῳ Πτολεμαίῳ, ἐν τῷ βίβλῳ τῆς Σώθεως. *Ex ſcriptis Manethonis Sebennitæ, qui tempore Ptolemæi Philadelphi Archiſacerdos Idolorum, quæ ſunt in Aegypto oraculo doctus, imaginum iacentium in terra Syriadica, ſacra dialecto inſcriptorum, & ſacris literis inſculptorum à Thoth primo Hermete, quas interpretatus eſt poſt cataclyſmum ex ſacra dialecto in linguam Græcam, & literis hieroglyphicis expo-*

ſuit

ſuit eas in Libris Agathodæmon ſecundus Hermes pater Tat in adytis templorum Aegyptiorum, quas pronunciauit ipſi Philadelpho Ptolomæo Regi II. venerando, Manethon Archiſacerdos & Scriba Sacrorum Aegypti adytorum, in libro qui Sothios inſcribitur, quo omnia Mundi myſteria, iuxta mentem Aegyptiorum traduntur.

Quid porrò libri hi continuerint; Alkandi Arabs vetuſtiſſimus Author, quem Geladin pariter Arabs ſæpeſæpius citat in Libro de Sapientibus Aegypt.

Alkandi Arabs apud Geladin.

و بزمان ابراهيم كان بمصر هرميس وهو ادريس وهو مثلث لانه نبي وملك
وحكيم وهرميس وهو هقام العمود الذين يقلون المسلات فرعون ونقش بهم العلوم
وكل ما وجد ———————————— &c.

In diebus Arabam fuit in Aegypto Hermes, ipſi eſt Adris ſecundus, pax ſuper eum, & ipſe Triſmegiſtus, quoniam Propheta, & Rex, & Philoſophus, & ipſe erexit columnas primus, in quibus inſculpſit omnes ſcientias quas inuenerat. Deinde recitat artes; vti ſequitur. *Primus docuit, artem metellorum, Alchimiam, Aſtrologiam, Magiam, & ſcientiam ſpirituum & apotelſmatum, ſiue quæ de amuletis, phylacterijs tractat, à quo deinde hauſerunt ſua Pythagoras, Empedocles, Archelaus Sacerdos, Socrates Orator & Philoſophus; Plato Author politicæ, Ariſtoteles denique Magiſter Metaphyſicæ.*

Huius celeberrimi Hermetis Triſmegiſti, eiuſque Librorum, rerumque à ſe inuentarum mentionem quoque facit, peruetuſtus Codex Hebræus, cui titulus eſt *Domus Melchiſedech*, & habetur hic Romæ in Bibliotheca Neophytorum in quo, inter cætera hæc de Hermete refert.

Ex Codice Hebræo cui titulus Domus Melchiſedech.

ויוצא מבית בנען איש החכם גרול הוא אדריש שבלעץ
ארמיש והוא ראשון שהקים העמודים ויכתב בהם
אותיות בדמות החיות וכל מה צורך לאנשים להיות
ברצון יהוה למר את האנשים סדרי הזמנים והאופן
לחיות בטובים ועבדת האלהות ויהי שכל בעלי
חכמה ודעה אחריו נקראים בשם אדריש מפני שהוא
היה דורש בכל חכמה ודעה

Et egreſſus eſt de domo Canaan, Vir magnæ ſapientiæ, ipſe Adris, barbaro nomine Hermes; ipſe primus erexit columnas, in quibus ſcripſit à ſe inuenta; hi erexit Gymnaſia & inuenit literas in ſimilitudinem animalium,

lium, docuit Mathemathicas disciplinas, tradidit hominibus temporum ordinem, legemque & rationem politicam bene beateque viuendi, & factum est, vt omnes scientia & disciplina illustres viri famosi post eum nominarentur Adris, eo quod ipse primus de omni scientia & doctrina disputasset.

Dicit literas inueniſſe in ſimilitudinem animalium, quas nos hieroglyphicas vocamus, & vel ipſi Coptitæ teſtantur; ſiquidem Author Scalæ magnæ Onomaſtici noſtri Coptici vbi de figuris literarum earumque Origine tractat; ita Coptice ſcribit.

ⲭⲏⲙⲓ ⲧⲱⲛⲓ ⲛⲟⲩⲥⲭⲉⲣⲉⲁ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲥⲭⲏⲙⲁ ⲛⲧⲉ ⲑⲏⲣⲓⲟⲛ

Aegyptus, inquit, *primos ſuos characteres ex figuris animalium deſumpſit.*

Hermetem verò Adris, ob triplex quo fungebatur officium, Triſmegiſtum, id eſt tripliciter magnum dictum, Mor Iſaac, in ſua philoſophia Syriaca ſer.2. cap.2. dicit.

ܘܗܪܡܝܣ ܒܟܠ ܚܟܝܡ ܗܘ ܡܛܠ ܬܠܬ ܥܠܠܢ ܪܒܐ ܗܘ ܗܘܐ ܓܝܪ ܢܒܝܐ ܘܟܗܢܐ ܘܦܝܠܣܘܦܐ

Hermes in omnibus ſapiens, ipſe triplici de cauſa magnus, fuit enim Propheta, Sacerdos, & philoſophus.

Atque ex hac teſtimoniorum congerie luculenter patet; Hieroglyphicas literas ab Hermete inuentas, non hiſtorias, vti multi falsò ſibi perſuadent, aut elogia Regum, ſimiliaque innuiſſe, ſed altiſſima Diuinitatis myſteria; vt proinde niſi Sacerdotibus ſapientibus ea reuelare ingens haberetur piaculum. Quibus quidem præmiſſis, nunc ad inſtitutum noſtrum reuertantur.

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpositus Generalis Societ. Iesu.

CVm opus, cui titulus Interpretatio Obelisci Ægyptiaci non ita primum intra Isidis Romanæ propo Templum Mineruæ effossi, P. Athanasij Kircheri nostræ Societatis Sacerdotis aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. Datum Romæ 21. Martij 1666.

Io: Paulus Oliua.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

O. Archiep. Patracen. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Pal. Apost. Mag.

IN-

INDEX

Sectionum, & Capitulorum in Obeliscum Aegyptiacum.

SEctio I. Parascheuastica ad Interpretationem. 1
Caput I. Occasio & causa detectionis huius Obelisci. 2
Caput II. De Isidis Templo eiusque situ. 5
Caput III. Quis Isidis Templi primus Conditor fuerit. 11
Caput IV. De Obelisco in Isæo non ita pridem detecto. 13
Caput V. Prolusiones ad interpretationem. 16
Caput VI. De Mystica significatione figuræ Obeliscorum. 19
Sectio II. Interpretatio Obelisci ex omni antiquitate, Authorumque veterum testimonijs stabilita. 23
Caput I. Diuisio Obelisci. 23
§. 1. Expositio Scarabæi, qui primum in Obelisco locum obtinet. 24
Hieroglyphicum 2. Accipiter Tutulatus, seu Mitratus. 30
Hieroglyphicum 3. Serpens ansatam Crucem tenens, & de hastis Vpupæ capite insignitis. 34
Hieroglyphicum 4. Vpupæ. 38
Hieroglyphicum 5. Tautica Crux ansata, quam dorso alligatam tenet Serpens. 41
Caput II. Reliquorum, quæ in primo latere Boreali Obelisci continentur symbolorum expositio. 48
Caput III. Lateris secundi, Obelisci Interpretatio. 71
Hierogrammatismus Papilionis & Noctuæ. 76
Quænam sit propria significatio Noctuæ. 76
Sectio III. Sapientia Aegyptiorum, qua sapientum veterum in hieroglyphica philosophandi methodo ratio, & intentio medullitus enucleatur. 79
Caput I. De origine & propagatione hieroglyphicæ doctrinæ. 79
Caput II. Cur Aegyptij arcana Theosophiæ sacramenta adeò obscuris symbolorum inuolucris expresserint? 84
Caput III. Quomodò primæui sapientes Aegypti ex sensibilibus paulatim sub occulta quadam analogia quatuor Archetypos Mundos philosophando attigerint. 87
Caput IV. Cur, & quomodo Aegyptij per hieroglyphica Obeliscis incisa Ideas in mente diuina existentes exhibuerint. 94
Caput V. De ritibus & cæremonijs Aegypriorum, queis in sacrificijs ad Genios alliciendos vnicuique rei proprios vtebantur. 96
Quomodo in Adytis Hieromistæ supremæ Mentis thronum adornarent

Hiero-

Hieroglyphicæ doctrinæ specimen. 98
Caput VI. Quid Aegyptij per tot ac tantos Religionis actus, ardentissimumque Deorum cultum vltimatè intenderint? 106
Caput VII. In quo quæcunque in præcedentibus dicta fuerunt varijs Hieroglyphicorum schematismis comprobantur. 108
Caput VIII. De falsis, & superstitiosis Aegyptiorum Sacerdotum ritibus, & cæremonijs, quibus ad Genios Mundi vnicuique rei proprios alliciendos in sacrificijs vtebantur. 111
Fragmenti Hieroglyphici Interpretatio. 122
Explicatio terminorum. 122
De Statuis, quas Apotropæas, seu Mesitas vocant. 124
Simulacrum Hieroglyphicum, quod in Oppidi Arignani foro exhibetur, & vnum ex ijs est, quas Apotropæas, siue Auerruncas, aut etiam Mesitas, siue Genios mediatores vocant. 125
Expositio Tabulæ. 128
Sectio IV. De fragmentis Hieroglyphicis Obeliscorum partim subterraneis; partim muris Romanarum Aedium insertis, partim denique necdum erectis, in hunc vsque diem superstitibus, cæterisque, quæ post vltimam Oedipi editionem ad Authorem missa sunt. 131
Caput I. De Obeliscis adhuc prostratis, & necdum erectis. 131
Caput II. De Obeliscis Romæ subterraneis; nec dum erutis. 132
§. 1. Obeliscus Campi Martij. 132
§. 2. Obeliscus in Insula Tyberina. 132
§. 3. Obelisci fragmentum in Area Coll. Romani. 134
§. 4. Fragmentum Obelisci è regione Ecclesiæ S. Ignatij muro insertum. 134
§. 5. Obelisci fragmentum inter Coll. Rom. & Palatium Principis Pamphilij muro insertum. 134
Idolum Aegyptiacum cultum Nephtæ, seu Isidis Hylææ exprimens. 138
Explicatio Idoli Aegyptiaci Barcinone inuenti. 142
Anacephalæosis eorum quæ in hoc libro exposita fluerunt. 143
Conclusio Operis. 146

ATHA-

ATHANASII KIRCHERI
OBELISCI AEGYPTIACI
Vera, fidelis, & genuina
INTERPRETATIO.
SECTIO I.
Parascheuastica ad Interpretationem.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

ROMA Vrbium Regina, & inuicta Gentium Domina, Nationum ferè omnium, quò vnicè collimabant, centrum, vti viribus erat Imperijque dominatione prapotens, ita Victricia fortitudinis signa eò prouexit, vt nulla pœnè terrarum portio daretur, nullus populus adeò ferox, qui non submissis fascibus eius se armis subditum fateretur. Quamobrem ob immensam spoliorum, quam vbique gentium accumularat, opulentiam, iunctis vnà ingentibus diuitiarum thesauris, tantùm potuit, vt prater auri & argenti cimeliorumque confertam multitudinem, cum nihil reliquum viderctur, Romani vi vel ipsis saxis illata, statuisque tum vastitate molis spectandis, tum sculpturis politiori manu elaboratis, quicquid aut splendidum, aut magnificentia clarum & illustre, id eorum iuris factum, tum ad potentiam, qua potiebantur, contestandam, tum ad Vrbem Vrbium inaudita magnificentia monumentis immortalitati consecrandam, Orbis Vrbi inueherent; Testantur id sat superque vasta illa Obeliscorum moles, statuarumque partim integrarum, partim vetustate consumptarum veluti exercitus quidam, quorum tanta fuit multitudo & copia, vt quemadmodum olim, ita in hunc vsque diem, vix Vrbis aspexeris angulum, qui non huiusmodi veterum monumentis triumphet, imò vix Vineam, atrium, plateamque suffodias, vbi non similes antiquitatis reliquias reperias; atque adeò Roma meritò adhuc inter multiplices ruderum vastitates, veluti in ruinis suis splendescere videatur. Et vt innumera alia sileam, monstrat id quàm

Potentia Romanorum veterum, & opulentia.

Monumentorum grandtas.

Multitudo & varietas reliquiarum, quæ hodie reperiuntur.

luculentissimè Regio illa, in qua Isidis Templum quondam extructum ingenti Aegyptiacæ superstitionis cultu adornatum fuisse traditur; quàm sanè Regionem non immeritò inexhaustum Antiquitatum promum condum dixerim, ob incredibilem, nullo non tempore ibidem effossarum Antiquitatum multitudinem & copiam, quibus hic præsens Obeliscus quoque adnumerari potest, qua verò occasione is detectus fuerit, Lectori paucis exponendum censui.

CAPVT I.

Occasio & causa detectionis huius Obelisci.

CVM Patres Ordinis Sancti Dominici supra Mineruam, in horto, pro nescio, quo muro erigendo, fundamenta iacerent, in profunditate quindecim ferè palmorum, primò Obelisci pyramidium nullis exaratum symbolis, occurrit, vndè Obelisci molem ibidem latere statim coniecerunt; Rumore mox in Vrbe, vti in huiusmodi nouitatum detectione fieri assolet, exorto; res ad Summi Pontificis aures delata, rei examinandæ desiderium mouit; vndè statim Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus Corinthi, tunc temporis curæ domesticæ in Palatio Apostolico supremus Moderator, modo ob insignem meritorum cumulum, Iacobus Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Ninus, pro ingenti, quo ardet in Reip. Literariæ bono promouendo zelo & sollicitudine, Venerabili P. Michalangelo Iacobutio dicti Cœnobij Priori mea opera renunciari iubet; Summi Pontificis voluntatem esse, vt Obeliscum densa adhuc terrestrium quisquiliarum mole obrutum propediem erui curaret. Quod statim executioni mandatum fuit. Interim ego Roma ad annuam in Monte Eustachiano, 26. milliaribus Roma dissito, sacram, vti vocant, missionem, condicta die instituendam, discedere coactus, tùm eruendi, tùm designandi Obelisci curam Iosepho Petruccio industrio & docto Iuueni, meorumque nonnullorum librorum ex Latino in Italicum Idioma translatori commisi.

Expedito itaque suscepti Itineris curriculo, vix Tibur appuli, cum eccè duæ ad me Roma deferuntur Obelisci iam eruti delineationes, vna à dicto Petruccio, altera ab Erudito Marcello Seuerolo Abbate facta, quas vti acri examine, vnam cum altera comparaui, ita quoque, in ijs veram statim ac genuinam Aegyptiaci ingenij indolem deprehendi; Verùm cum quartum latus quæro, illud omissum reperi, eò quod illud Obelisco prostrato terræ insistens, sine eius reuolutione dilineare nescierint; vndè tribus lateribus solummodò ad me missis, iuxta hieroglyphicæ artis regulas diligenter collatis, etiam non viso adhuc Obelisco, quartum adieci; Romamque ad Petruccium cum quarto latere, quod iam in reuoluto Obelisco detexerant,

Author addit quartum latus, nondum viso Obelisco.

com-

comparandum transmisi, qui comparatione instituta, non aliud, quam quod ego absens delinearam, omnia, inquam, ad vnguem congruere reperit, vti ex attestatione paulo post ponenda patebit. Quæ hic ideò apponenda duxi, ne Lector prudens sibi persuadeat, hieroglyphica symbola temerè ac tumultuaria methodo Obeliscis incisa fuisse, sed artem esse summo ingenio à priscorum temporum Sacerdotibus institutam, suis regulis & canonibus infallibilibus nixam, ita vt qui vnius lateris symbolicum contextum rectè conceperit, oppositi lateris corresponsum nescire nequeat, vt proindè Lector Authorem de puris putis coniecturis cauillari desinat, certusque sit, illa sine certa artis regula, & sola coniectura cognosci non posse, sed requiri certam artis hieroglyphicæ methodum, ad hieroglyphicorum congeriem tum rectè disponendam, tum interpretandam; quam artem, Deo dante, secundæ Oedipi editioni Reipublicæ Literariæ me communicaturum polliceor. Verum antequam vlterius progrediar, epistolam à Iosepho Petruccio ad Eruditum Marcellum Abbatem Seuerolum datam opportunè hoc loco inserendam duxi.

Hieroglyphica Ægyptiorum in dispositione eorum regulas certas habent.

Sequitur littera Authentica.

ILL.MO ED ERVD.MO SIGNORE.

LAVANDOSI nell'horto de i RR.PP. della Minerua, si come à V. S. è noto, portò il caso, che fosse ritrouato vn'Obelisco, il quale quanto appariua inferiore nella grandezza à tutti gli altri, altrettanto rimirauasi più perfetto, e più intero di quanti ne siano. Al Padre Atanasio Kircher intendente di questi, fù imposto, che ne dasse piena contezza; mà conciosia che l'annua Missione alla Madonna della Montorel la lo necessitasse à non procrastinare con la dimora, lasciò à me'l pensiero, che scoperto restasse prontamente seruito con vn disegno l'Illustrissimo Monsignor Nini hora Cardinale di Santa Chiesa, per Nostro Signore, & altresì n'inuiassi vn'altro verso Tiuoli, oue compita la Missione stantiarebbe. Accadè che solamente trè lati si potettero disegnare, onde io impatiente di più indugiare l'esecutione di ciò, che mi fù comandato, così imperfetto, esequij, quanto richiedeua la mia seruitù. Nella risposta fattami dal Padre, con gran marauiglia di chi vide, e di molte persone di dottrina non ordinaria, mi mandò il quarto lato, disegnato di proprio pugno. A vista cotanto inaspettata, stupefatto, e curioso corsi di subito à vedere se corrispondeua con l'originale, e rinuenni esser'il medesimo contenuto, senza segno di variatione alcuna, anzi in quei luoghi doue non v'erano scolpite figure, Egli supplì, con espormi ciò che mancaua. Pertanto vengo con esercitare le mie obligationi dar parte alla sua curiosità del seguito, sapendo il desiderio con che lo bramaua; accioche possa satiare le sue fameliche brame di quelle curiosità, & antiche cognitioni, che la rendono cotanto riguardeuole appresso tutti. Non voglio però tralasciare di significarle, che vi fù più d'vno, che volse oppormi; ciò non procede, che per voler rimirare la dottrina de'Professori con lo specchio di Smirna, il quale offeriua Laide l'imagini tutte, che iui specchiauansi. L'odio rende caliginoso l'intelletto, ne sà discernere l'ingenuità del ben operare, ne'i virtuosi; con il loro gracchiare però nulla conchiudono al sentir di Demostene: *Ea est calumniatoris natura, in crimen vocare omnia. probare verò nihil*. O se à questi si desse il rigoroso castigo descritto dal sopradetto Filosofo, non si trouarebbero più maldicenti! Non è cosa disusata; Tullio parlando de'i suoi secoli in questi accenti proruppe: *Est huius seculi labes quadam & macula virtuti inuidere, velle ipsum florem dignitatis effringere*. Se questi hauessero veduti gl'elogij, che al Padre Kirchero sono stati dati, trà gli altri quello dell'Eminentissimo Caponi, riferito nell'Edipo, e le testimonianze c'hanno fatte tanti Antiquarij in proua de i frammenti, che supplì nell'erettione dell'Obelisco Panfilio, non hauerebbero ardire di fauellarne, che con pensato giudicio. Finalmente se non dan fede à miei detti, riuolgino la parte dell'Obelisco Ludouisiano, oue parimente supplì al

lato

lato, che non gli era concesso il rimirarlo, sicome possono vedere nell'Edipo. Mà perche dubito absusarmi della cortesia di lei, à cui tanto deuo, con la lunghezza della presente, riserbando altroue parlarne più à lungo, conchiudo con Seneca: *Veritas diù non latuit, nec latuisse ipsius est damnum, veniet, qua & absconditam, ac huius seculi malignitatem compreßam dies publicet.*

Di V. S. Illustrissima

Seruo humilissimo, e deuotissimo

Giuseppe Petrucci.

CAPVT II.

De Isidis Templo eiusque situ.

MAGNAM reperio inter Romanarum antiquitatum Compilatores de Isidis Templo situque controuersiam, quæ tamen facilè dirimi potest ex æquiuocatione Nominum Isidis & Serapidis, quam plerique Authores in locis genuinis assignandis, incurrisse reperio. Putant aliqui, Isidis & Serapidis Templum fuisse eo in loco, vbi modò Ecclesia noua, vti vocant, S. Mariæ Patrum Congregationis Oratorij, splendidissimo apparatu fundata cernitur, vti rudera, quæ supersunt, testantur. Quamois alij Templum fuisse putent Concordiæ & Æsculapij, alij Solis & Lunæ, per quæ si Isidem & Serapidem intelligant, optimè & congruè conijciunt; Est enim Isis & Serapis, si physicum Aegyptiorum sensum consideremus, nil aliud, quam Sol & Luna, quorum Templa semper coniuncta fuisse, Auctor est P. Victor, & Sextus Ruffus, quamuis etiam vnico templo cultos fuisse reperiamus; & Vitruuius testatur, cum de Templis Dijs distriboendis loquitur: (*Mercurio in Foro, Isidi & Serapidi in Emporio.*) Varro in via sacra iuxta Saburram aliud fuisse Isidis Templum, asserit. Sed hisce prætermissis, iam

Vbi propriè fuerit Isidis fanum tantopere ab Authoribus celebratum.

vbi-

vbinam propriè insigne illud Isidis Templum, tot historijs decantatum, situm fuerit, disquiramus.

Situs Templi Isidis. Bartholomæus Marlianus & Boissardus in Topographia Romana, in Via Lata constitutum fuisse autumant; sic enim referunt: *A Marcello Coruorum ad Septa Campi Martij Via Lata adhuc priscum obtinens nomen producitur, à qua ædes Sanctæ Mariæ in Via Lata nomen accepit, prope quam nunc multa eruuntur marmora; In hac ipsa via Isidis Templum extitit;* Blondus autem ex Sexti Ruffi descriptione, id vbi nunc ædes est Sancti Marcelli, ponit, vbi Vespasianum Titum nocte illa, quæ Triumphum præcessit, quieuisse, memorat Suetonius. Iuuenalis verò propè septa statuit, cum inquit:

A Meroe portabat aquas, quas spargit in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ouili.

Quid septa: cur ouile dicta. Septa Ouile vocat, eo quod intra ea, veluti intra Ouile populus tempore, quo noui Senatores Consulesque crearentur, ad tumultus compescendos cogebatur. Quicquid sit, licet ædes Isiaca à septis non multum distiterit, notandum tamen est hoc loco, non tam Templum, seu Fanum Isidis, eiusque situm exquirendum esse, quam districtum huius, quod Isæum, siue Serapæum propriè dicebatur; Nam vti in Obelisco Pamphilio & Oedipo fusè deduximus, erat Isæum, seu Serapæum non ipsum Deastrorum Templum, sed districtus longè latèque exporrectus circa Templum, in quo, & septum, quo Apis bos ingenti superstitione nutriebatur; erant & in eo adyta arcanioribus cerimonijs celebrandis destinata, plena Aegyptiacis statuis, monumentis, obeliscis, cæterisque hieroglyphicis symbolis exornata; Huius enim Architectus, vt iuxta Aegyptiorum veterum Sacerdotum intentionem rectè operaretur, nihil eorum, quæ ad Sacra Isiaca ritè administranda requirebantur, omittere debebat. Ac proindè non malè sentiant, qui Templum Isidis nunc ad plateam, quæ Sciarra dicitur, modò ad ædem S. Marcelli, aut ad Ecclesiam S. Mariæ in Via Lata; alij, illud ibi, vbi modò Collegium Romanum, & Cœnobium recens Patrum Dominicanorum, situm fuisse, putant; neque enim hic solum Isiacum Fanum, sed Isæum seu Serapæum, quod erat veluti Atrium quoddam, & districtus non exiguus, qui vti diximus, ædem Isidis, prout Aegyptijs priscis in more positum erat, cingebat, extitisse putandum est. Vndè portionem Septorum Campi Martij cum Serapæo nonnulli non incongruè confundunt, & ex illo Iuuenalis supracitati patet:

Quid propriè Serapæum siue Isæum.

——— quas spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.

Lib. 2. e. 14. Et Martialis.

Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur
Si quid Phyllirides præstet & Aesonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica Templa frequentat
Assidet & Cathedris mœsta Iuuenca suis.

Nam


TYPON ISÆI
Fanum Isidi
Bsieth
Mendes
Sphyn - ges
Osiris
Amun
Apis
Canopus
Ichnographia Septi Isiaci
Capitol.
T. Minervæ
Pantheon
ISÆI
Via Lata
Coll. Rom.
Vetus fanum Isidis
T. Antonini Imp.
Septa Campi Martij
Coll. Antonini
S. Maria in Via Lata
Piazza di Sciarra
S. Marcellus
DISTRICTUS

Isis sub forma iuuencæ colebatur.

Nam Isis, vti in hieroglyphicis nostris operibus ostendimus, etiam sub specie iuuencæ colebatur; vbi Selius cœnas opimas venabatur. Septa verò hæc inter forum Columnæ, Aquæ Treuiæ fontem, Pinciumque Collem, Templum Sancti Andreæ, quod à Fratte, id est, septi, adhuc nomen obtinuit, & hinc ad Templum S. Marcelli, teste Martiano in Via Lata terminabantur. Vndè patet, septa illa Campi Martij intra se Serapæi partem comprehendisse.

Districtus Serapæi Isiaci descriptio.

Vt itaque luculentiùs res pateat, nos veram eius ichnographiam hoc loco apponendam duximus; vbi vides, à platea, quæ Sciarra dicitur, loco ruderibus adhuc conferto, vsque ad ædem S. Marcelli, & ab hac, vsque ad S. Mariam in Via Lata, & ab hac ad Templum Mineruæ, & hinc vsque ad Templum Imperat. Antonini Pij, cuius columnæ adhuc hodie Seminario Romano vicina spectantur, & hinc vsque ad derelictam plateam, quæ Sciarra dicitur, reditum fieri; Atque hoc nos dicimus Serapæum, seu Isæum, aut districtum, intra quem Isidis Templum continebatur, fuisse dicimus, vti ex Ichnographia patet: Et congruit omnibus supracitatis Authoribus, qui forsan ignari rituum Aegyptiorum, Isæum cum ipso Isiaco Templo confuderint; Hoc autem vt asseramus, magno incitamento fuit, Aegyptiacarum Antiquitatum multitudo, quæ nullo non tempore in hoc districtu inuenta fuit; & testantur in hunc vsque diem Obeliscorum portiones, vicinarum domuum angularibus structuris insertæ. Primus est Obeliscus S. Mahuti, ex minoribus adhuc integer, è regione S. Bartholomæi Bergomatum, quem Mahuti vocant

Varia Ægyptiaci cultus fragmenta, quæ in hoc districtu reperta sunt, Isæum hoc loco fuisse testantur.

erectus: Alterius Obelisci portio adhuc in angulo domus pharmacopæi cuiusdam, è regione Ecclesiæ S. Ignatij spectatur; Rursùs alterius portio angulo domus, è regione Cloacæ Collegij Romani imposita; Tertij portio, dum Collegij Romani fundamenta ponerentur, inuenta, primò ante fores ipsius Collegij erecta, postmodum intra domesticam eiusdem aream tracta, ibidem adhuc cernitur, & hosce non vnius, sed differentium Obeliscorum fragmenta fuisse, tum color differens, tum commissuræ partium difformes, tum denique ipsa hieroglyphicorum series, interrupta, vti à me summa cura & diligentia exploratum fuit, sat superque docent; Vndè colligo, hunc districtum, huiusmodi antiquitatum reliquijs adhuc confertum esse, vt vltimus Obeliscus, cuius occasione hanc diatriben molimur, non ita pridem in eodem districtu detectus manifestè docet.

Statua ex Lydio lapide pariter inuenta cum Obelisco.

Inuenta verò & alia statua Aegyptiaca exititio opere, quod basso di rilieuo dicunt, elaborata, dum Cloaca ad Collegium Romanum ampliaretur, è regione Palatij noui Principis Pamphilij eruta, quam cum præterlapso anno, veluti dignum antiquitatis monumentum sepofuissem, posteà summo meo dolore,


Statua hoc eodem in loco Osiridis tempore Vrb. VIII. P.M. reperta.

denuò intra fossam à Latomis deiectam sepultamque fuisse reperi; Tempore verò Vrbani VIII. Pontificis, dum noui Cœnobij fundamenta iacerent Patres Dominicani, alia Osiridis statua detecta fuit, haud longè ab eo loco, vbi Fuluio teste, vetus Mineruæ delubrum erat, per viam, quæ descen-


descendentes è Quirinali deducit ad Pantheon; fuit autem ex nigro marmore, Accipitrino capite conspicua, quæ manu dextra dimissa & explicata, sinistra Crucem ansatam portabat, vti inferius figura C. ostendit & etiamnum in Eminentissimi Antonij Cardinalis Barberini palatio ea, quæ paulo post sequitur, forma spectanda exponitur; vbi enim Isis colebatur, ibidem Osiris maritus abesse non poterat; Verùm cum hanc statuam hieroglyphicam in Oedipo exposuerimus, eò Lectorem remittimus.

Eodem in loco ante decennium circiter è regione Collegij Romani, eiecta ex fundamentis fuit copiosa Aegyptiacæ superstitionis suppellex, erantque inter alia Tabulæ marmoreæ hieroglyphicis symbolis inaratæ, & coronis integra ferè, in qua ordine, sequentes figuræ insertæ videbantur; quarum nonnullæ adhuc in meo Musæo expositæ spectantur. Vti figura D demonstrat.

C



D



Cum itaque in nullo Romanæ Vrbis loco tanta Aegyptiacorum monumentorum copia, quam in hoc districtu sit inuenta, id luculentum sanè indicium est, hoc loco, non alibi, celebre illud Isidis delubrum conditum fuisse. Qui verò vicinum Templum Mineruæ sacrum cum

Templum Mineruæ non idem fuit cum Isidis Templo

Isiaco confundunt, valdè hallucinantur, cum hæc, vti religione, ita situ quoque distincta fuerint. Mineruæ Fanum eiusque situm, ritusque in eo peragi solitos Iacobus Laurus ex Plinio in suo de Romanis Antiquitatibus libro hisce verbis describit: *Templum Deæ Mineruæ ædificatum, seu dicatum fuit à Magno Pompeio ex Manubijs, vbi omnia Victarum à se gentium insignia ac titulos reposuit, vt est apud Plinium lib. 3. cap. 26. Templum variè ornatum instructumque fuit, addito simulacro ipsius Deæ, cui varia quoque à suis Sacerdotibus fiebant sacrificia; Nam ei Victores redeuntes è bello, triumphantesque sacrificabant in gratiarum actionem, quas ei tanquam Deæ armigeræ referebant, quocircà etiam ægide sinistra, & hasta manu dextrà, longa induta toga fingi pingique erat solita; Interdum Caput Medusæ in scuto præferens: Bellona propterea, quasi Dea bellatrix dicta à Græcis Pallas, Minerua à Latinis dicitur, alijsque nominibus, Iouis Ætheris primogenita, vt testatur Leontius Author Græcus; atque idcircò fabulantur Poëtæ eam è Iouis cerebro natam, ob eam fortassis causam, quod cum sapientissima fuerit fæmina, & ideò sapientiæ & bonis artibus à Veteribus præpositam, significare eo commento voluerint sapientiam, pro qua sumebatur Minerua, ex inexhausto Diuinæ sapientiæ fonte dimanasse. Meminit huius Commenti Sanctus Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 10. Tritonides quoque dicebatur à Poëtis præsertim, eò quod Ogygis Regis tempore circa Tritonidem Africæ paludem, Virginali facie & habitu dicatur apparuisse. Diuinitatem autem videtur obtinuisse apud eam gentem, tanquam de hominibus beneuerita, quod olei & lanificij credatur esse inuentrix: Ludi in eius honorem celebrabantur, Quinquatria dicta, quæ ad sua vsque tempora perseuerasse testatur Plinius. Fiebant autem quinque diebus, quibus pueri vacabant à studijs, præceptoribusque ferebant munuscula in honorem Deæ, de quo Ouid: Varro scribit, ab ea fundatas Athenas, alij volunt, quod ijs nomen dederit, ob oliuam ei dicatam in Signum Victoriæ & Pacis. Meritò hoc Deæ Sapientiæ Templum cessit ædi B. Virginis, veræ sapientiæ Matris, cui ibidem Patres Prædicatores eiusdem sapientiæ cultores inseruiunt.*

Descriptio Templi Mineruæ,

Ex quibus patet, Templum Mineruæ ab Isidis diuersissimum fuisse; in illo enim Græcorum more cultus Mineruæ, in hoc Aegyptiorum more Isis celebrabatur, vti Ichnographia docet. Isæum enim, vt & Templum ipsum vbique pyramidibus, cæterisque monstruosis Deorum Dearumque formis describebatur, plena omnia hieroglyphicis Schematismis, de quibus cum in sequentibus fusiùs dicturi simus, ea id hoc loco tantùm insinuasse sufficiat.

Templum Mineruæ in Templum B.Virg. cessit,

CA-

CAPVT III.

Quis Isidis Templi primus Conditor fuit?

QVIS propriè Isæi & Templi Isidis ad septa Campi Martij extructi, conditor fuerit, qui ex Authoribus id tradat, non me legisse memini. Noui Numam Pompilium Secundum Romanorum Regem à Pythagora Ægyptiacæ Philosophiæ peritissimo, instructum in huiusmodi sacra quàm propensissimum fuisse, sed de Templo ijs erecto, nil apud Authores legitur.

Conditor Templi Isidis non certò constat.

Multos quoque ex Romanis tum ab Ægyptijs, tum à Græcis, instructos in Ægyptum data opera, ad occultioris philosophiæ rationem addiscendam, profectos fuisse, affatim in Obelisco Pamphilio ostendimus: de Templis verò more Aegyptijs solito extruendis tum in Græcia, tum Romæ erectis, nihil constat, nisi postquam Aegyptus in potestatem Romanorum redacta fuit, tum enim verò complures admirandis istis Aegyptiorum operibus stupefacti, paulatim ad Romam similibus fabricis monumentisque exornandam atque vnà ad veteres superstitiones ab inferis resuscitandas, animum adiecerunt; fuisse tamen nonnulla Aegyptiorum delubra ante Imperij Romani exordium Romæ extructa, multis rationibus conuincor:

Romanorũ in Ægyptiacam superstitionem pronitas.

primò quod huiusmodi Isiaca delubra à primis tum Imperatoribus, tum consulibus prohibita comperiam, si prohibita fuernnt, ergò iam multis ante annis extructa fuisse, quis dubitat? Sed audiamus Dionis. verba lib. 53. *Decretum*, inquit, *quod prioris anni exitu de Serapi Isideque factum erat, inter prodigia non extremum videtur locum obtinuisse; Eorum Diuorum fana, quæ priuatim nonnulli extruxerant, Senatus demoliri iussit, quod eos non magnoperè inter Numina numerabat; vbi ea sententia obtinuit, vt publicè iam coli inciperent, extra pomærium eos Deos collocarunt*:

Decretum quo anno de abolendis Templis Isiacis factũ sit.

Factum verò, teste Dione, hoc decretum, siue Senatus consultum, anno Vrbis conditæ DCC; etsi Tertullianus id euulgatum fuisse dicat anno Vrbis Conditæ DCXCVI. id est, anno 696. Pisone & Gabinio Consulibus. Quod verò à priuatis extructa fuisse dicat, luculento indicio est, hosce in Aegypto primùm Isiacis sacris initiatos, deindè Romam quoque eorum solita Aegyptijs extructione fanorum participem esse voluisse. Quemadmodum verò peregrinus & monstruosus Deorum cultus sine publica authoritate introductus fuit, ita quoque cum tempore & cultus eorum publicis decretis, ob scelerum, quæ in eo sub prætextu sacrificiorum committebantur, abolitus fuit, templa quoque destructa, attamen multorum sacris fauentium cura mox restituta. Dion de Augusto loquens ait, *Aegyptijs Dijs sacra fieri intra pomærium non est passus*;

Causa cur abolita fuit, cur restituta.

passus; & de Agrippa; *Sacra Aegyptia, quæ iterum in Vrbem iam insinuabant, repressit edicto, ne quis in Suburbano intra* 500. *passus ageret*. Meminit & huius Tertullianus in apolog. 6. *His vos restitutis summam maiestatem contulistis, licet Serapidi iam Romano aras restruxeritis*, tantùm verò Domitiano & Caracallæ huiusmodi Isiaca sacra placuisse legimus, vt referente Suetonio Domitianus è Capitolio fugiens matutino tempore Isiaci sacrificuli celatus habitu, inter ridiculam sacrificulorum stolidissimæ superstitionis turbam versari non sit dedignatus. Spartianus quoque de Caracalla: *Sacra*, inquit, *Isidis Romam deportauit, & Templa vbique magnificè eidem Deæ fecit*. Neque hic Lectorem existimare velim, Caracallam primum fuisse Delubrorum Isiacorum Conditorem, aut qui primus huius sacra in Vrbem euocauerit, hoc enim falsum esse, ex dictis patuit, cum iam multò ante Cæsares ea tempore Reipublicæ Romanæ viguerint; Caracallam tamen sacra huius magno studio promouisse, delubra iuxta morem Aegyptiorum, à quibus instructus fuerat, simulacris cæterisque monumentis sacris, quibus vnicè afficiebatur, adornasse, Obeliscus inter alia, quem ex Aegypto allatum Romæ in Hippodromo suo erexit, quemque vetustate temporum prostratum confractumque Innocentius X. Pont. Max. postmodum in foro Agonali reerexit, satis ostendit. De quibus Consule nostrum Obeliscum Pamphilium.

Caracalla studiosus superstitionis Aegyptiacæ

Cur verò tot rigidis decretis fuerint prohibita Templa Isiacorum, causa fuit, quod in ijs plerumque Ithyphallia seu priapæa sacra principem locum tenerent, quæ vti ad omne scelus & propudiosæ libidinis vsum, impunem quandam licentiam præbebant, ita quoque huic vitio propensos vehementer, & vel ipsos Imperatores luxuriæ monstra alliciebant, vti de Domitiano & Caracalla suprà diximus. Heliogabalus certè adeò hisce fauere visus est, vt & sacerdotem Syrorum more, Solis ageret, sibique indè Heliogabali nomen imponi iusserit, vt proindè exemplum secutus Caracallæ patris sui, mirum non sit, hoc totius turpitudinis monstrum, tanto animi sui ardore, turpissima Ithyphalliorum, non sacra, sed scelera amplexum fuisse. Sed vt ad institutum nostrum reuertamur: Isidis itaque Templum, eo quo diximus loco constitutum fuisse, ex dictis patet. Et licet ædes prædicta non multum à septis distiterit, non tamen proxima fuit; Vndè alij posuere Isidis ædem in platea nunc Sciarræ, nonnulli apud ædem S. Mariæ in Equiro; At certum locum nobis non licet assignare, nisi quod prope S. Marcelli Templum inuentum est marmor hoc titulo insculptum:

Isiaca sacra prohibita fuerunt ob scelera quæ in ijs committebantur

Heliogabalus, sacerdotem Solis se appellare voluit.

Templum Isidis exoratæ.

Quod tamen non arguit, ibi ædem fuisse Isidis; sed marmor intra Isæum erectum. Fuit autem Isis Aegyptiorum Dea, & in magna apud ipsos vene-

ratione

ratione, cuius sacra Romam adducta esse testatur Lucanus. Lampridius in Com. Ant. Imp. *Dicta sacra*, inquit, *Isidis ita coluit, vt & caput raderet, Isiacos verò pineis vsque ad perniciem pectus tundere iuberet.* Colebatur autem Isis cum Osiride viro, qui Serapis est nominatus, à quibus Isæum & Serapeum loca publica in regione Flaminia nomen sumpsere. In Isidis autem Templo magna dabatur adulteriorum occasio. Vnde Ouidius ad amantem.

Ne fuge Niliacæ Memphitica sacra Iuuencæ,
Multas illa facit; quod fuit ipsa Ioui.

Quo in loco non de latrocinijs, quemadmodum opinatur Fuluius, verùm de adulterijs & stupris intelligit Ouidius: Nam & Iosephus commemorat, iuuenem quendam nomine Mundum, Paulinam generosam, & pudicam alioquin matronam, cum impatienter amaret, Sacerdotes Isidis pecunia corrupisse, qui nouo Religionis commento mulierem in Templum vocarent, eosque finxisse per noctem cum Osiride collocutos, persuasisseque eam à Deo desiderari, illam verò, cum in Templum venisset, à iuuene tanquam ab Osiride compressam, & cum mox petulantiùs stuprum ei exprobrasset, mulierem marito rem detulisse, maritum Tiberio Cæsari, atque ipsum indignatum sacerdotes cum Mundi liberta, quæ facinoris fuerat conciliatrix, crucibus affixisse, Temploque Isidis euerso, simulachrum eius in Tyberim præcipitari iussisse. De incendio autem huius Templi meminit Dion his verbis: *Ignis diuinitùs potiùs quàm ab homine Romæ excitatus, eamque depopulatus: Nam Serapis & Isidis Templum, & Septa, Neptuni ædem, Thermas Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, Balbi theatrum, Pompei porticum, Octauiæ domum cum Bibliotheca, Templum Iouis Capitolini cum ædibus & sacellis coniunctis exhausit.* Pluribus autem in locis fuisse Isidis Templum, testatur Spartianus in Vita Caracallæ; idem, ait, sacra Isidis Romam deportauisse, & Templa vbique magnificè eidem Deæ fecisse.

Mundi cum Paulina in Isiaco Templo stuprum

CAPVT IV.

De Obelisco in Isæo non ita pridem detecto.

OBELISCVS hic, vti suprà innuimus vnus ex minoribus occasione muri exaltandi, pro quo fundamenta iaciebantur, inuentus fuit, cuius fama percrebescente, ad eum spectandum, magnus mox hominum confluxus fuit. Symmetria Obelisci ita se habet: Altitudo est 24. palmorum, inferior basis 3.pal. cum 1.sext. superior latitudo vbi in pyramidion terminat, 2.pal.cum 1.quarta, pyramidion verò 2.pal.cum 3.quart.palmor.altitudinem continet; Abacum, cui

Symmetria Obelisci inuenti.

impo-



impositus fuerat, pal. 3. cum 3. quart. pal. altum, vnà cum Obelisco repererant; Obelisci symmetriam à celebri Architecto Iosepho Paglia ex Ord. S. Dominici designatam in apposita figura considera; statuam præterea ex Lydio lapide sine capite tamen & brachijs octo palmorum longam vnà detexerunt, quæ tamen an Deam referat, aut Romanam aliquam illustrem fœminam, dispici non potest. Obseruaui & eodem tempore post Obelisci huius inuentionem, multa effodi ex vicinis ab Obelisco fossis fragmenta, quorum duo sphynges, seu Leones Niloticos, eius prorsus formæ cuius sunt duo Leones, qui in principio ascensus Capitolini ex magno lapide aquam vomentes spectantur; duas pariter columnas exotico modo ex lapide pyrite elaboratas, quarum vtraque 4. palmorum latitudinem in diametro obtinet, quæ si integræ fuissent, ad 30. palmorum altitudinem facilè excurrissent, quæ quidem omnia Aegyptiaci ingenij indolem referunt. Cæterum Obeliscus ex lapide Aegyptio, qui vulgò *Granito rosso* dicitur, constat, hic, præterquam in Thebana Aegypti prouincia, teste Plinio, nulla alia in Mundi parte effoditur, propriusque Aegypti partus est; adeò verò à tot sæculorum ætatibus integer, & ab omni corruptione immunis hucusque mansit, vt hisce temporibus elaboratus videatur: imperfectus verò quoad hieroglyphica cernitur, vtpote in quo complura desunt, nonnulla quoque eleganter quidem incepta, at non finita videntur, quod in nullo alio Romanorum

norum Obeliscorum me obseruasse memini: Quæ res non parum quoque Antiquitatum studiosos perplexos tenuit.

Causa imperfectionis huius Obelisci.

Quæritur itaque, vndè moles hæc tantam imperfectionis notam incurrerit? Ad quod responderi posset; tum Hieroglyptam, tum eos, qui Obeliscum hieroglyphicis exornandum præceperant, aut morte præuentos, vel subitanea quadam temporum reuolutione, aut belli imminentis perculsos formidine, ab vlteriori operis prosecutione (quemadmodum in repentinis huiusmodi temporum calamitatumque necessitatibus fieri solet) tùm ab incisione figurarum, tùm ab eius erectione cessare coactos fuisse; cum enim Aegyptum vsque ad Cambysis tempora, longa pace Regnique tranquillitate ab immemorabili tempore fruitam legamus; certè haud inuerisimile videtur, huius sculpturæ prosecutionem violenta Cambysis inuasione, dum in Aegypto cum ingenti hominum, sacerdotum, hieroglyptarumque ruina monumentorumque vastatione susque deque verteret omnia, suspensam imperfectamque in hunc vsque diem mansisse; Siquidè à Cambysiano Aegypti excidio, nullum amplius Obeliscum hieroglyphicis inaratum fuisse, sacerdotibus sacrisque Scribis quà occisis, quà profligatis, in Obelisco Pamphilio fusè docuimus; Nisi forsan dicamus, Romanorum veterum temporibus incisum fuisse; Verùm enim verò cùm iam vel à Cambysis tempore hieroglyphicorum doctrinam vnà cum vltima Aegypti ruina abolitam, Plinius asserat, non video, quomodò Romani eum inscribere potuerint; accedit quod Augustus post Obeliscos Romam ex Aegypto delatos, desiderio intelligendi sub ipsis abditam doctrinam percitus, summa cura viros doctrina & antiquitatis notitia celebres, quos inter Cornelium Tacitum vnum fuisse Plinius cit. loco tradit, in Aegyptum ablegauerint, ea spe fretus, futurum, vt superstites adhuc sacerdotes hieroglyphicæ artis notitia instructos, qui doctrinam in Obeliscis scriptam exponerent, deprehenderet; sed frustra. Neque enim in Aegypto, nec alibi in Imperio Romano vllum hieroglyphicæ doctrinæ peritia clarum inuenit. Sed de hisce, cum in Propylæo Oedipi vbertim egerimus, eò Lectorem remittimus.

Quando & quo tempore Obeliscus effigiatus sit.

Aug. Cæsaris studium.

Interitus hieroglyphicæ literaturæ.

Fuerunt tamen nonnulli, qui hunc Obeliscum, dum ex Aegypto allatum adhuc rasum viderent, ab ipsis quibuscumque tandem sculptoribus siue Aegyptijs, siue Romanis Aegyptiorum veterum Simijs, hieroglyphicis insignitum fuisse, quibus non contradico; fieri enim potuit, vt quamuis artis hieroglyphicæ ignari, ex alio tamen quopiam Obelisco veluti prototypo quodam excerpta Symbola diligenti cura Obelisco raso, vt reliquis, qui iam sua literatura decorabantur, conformis fieret, inciderint; ad quod præstandum, nulla ad dicta symbola incidenda peritia requirebatur, quemadmodum tempore Sixti V. in Obeliscis Flammineo & Lateranensi ruptis mutilisque factum fuisse deprehendi, quorum defectum Sculptores Romani, vbicumque in confracto Obelisco lacunæ hiatusque reperiebantur, hieroglyphicis aliundè mutuatis suppleuerunt;

Non est inverisimile Romæ Obeliscum hunc ex Aegypto rasum hieroglyphicis insignitum, & ratio.

quæ

quæ omnia à me notata, & obſeruata in dictorum Obeliſcorum Syntagmatis, Quarti Tomi Oedipi, Lectori propoſuimus, vbi & ſymbola imperitè ab ignaris artis impoſita emendauimus; idem in noſtro hoc Obeliſco contingere potuit; quod vt âfferam, non exiguæ rationes me ad id credendum mouent; quarum prima eſt, quod in meo Muſæo plura teneam huiuſmodi hieroglyphicorum monumenta ex Iſæi ruderibus extracta, quæ tametſi hieroglyphicis veris & genuinis conſtent, in Aegypto tamen inciſa non fuiſſe, indè mihi patuit, quod tum in rudibus ſaxis, tum in tabulis marmoreis ſat mollibus & candidis fuerint inarata, quibus lapidibus Aegyptij, tanquam ἀφθαρσίας, ſiue incorruptibilitati prorſus contrarijs, ſummoperè abhorrebant, vti in figura præſenti apparet. Altera ratio eſt, quod qui Iſiaca fana extruebant, ſiue Cæſares, ſiue priuati fuerint, perindè eſt, Delubra præcisè iuxta formam normamque fanorum Iſiacorum, prout ſacrificiorum in ijs inſtituendorum modus & ratio exigebat, adornarint; Viderant hi adyta Aegyptiorum haud dubiè monſtruoſis ſimulacris referta, muros vndique & vndique hieroglyphicis exornatos, & pro vaſtitate Delubri erectos Obeliſcos, cuncta ſingulari ſerie & ordine diſpoſita; Intellexerant quoque hunc diſponendorum ſimulacrorum ordinem ad Genios alliciendos ſiſtendoſque neceſſarium eſſe; ſacrorum verò obeundorum rationem ita inſtitutam, vt peculiari hac rerum ſacrarum diſpoſitione neglecta, tantum abeſt, vt Genij ijs obedire crediderint, vt potiùs hiſce deficientibus ad indignationem moti, loco gratiarum concedendarum, de peracta incuria vindictam exquirerent. Haſce itaque cerimonias Romanos Veteres imitatos, cum ſuppellex ægyptiaca ijs non ſuppeteret, Symbola ex alijs veris & legitimis Aegyptiorum monumentis extracta in obuijs lapidibus marmoreiſque tabulis incidiſſe, veriſimile eſt. Verùm hoc æquo Lectoris iudicio ponderandum relinquo. Quare ad alia.

Iſidis Templum iuxta normam & formam templorum Iſidis in Aegypto præcisè extruebantur.

Superſtitio Aegyptiorũ in Templis extruendis.

CAPVT V.

Proluſiones ad Interpretationem.

§. I.

Hieroglyphicum quidnam propriè ſignificet?

HIEROGLYPHICVM ἀπὸ τοῦ ἱερὸς καὶ γλύπτειν, id eſt, ſacra ſculptura deriuatum, nihil aliud eſt, quàm ſymbolum rei ſacræ, lapidibus ſaxiſque duriſſimis contra omnem corruptionis labem inciſum; ſolebant enim Aegyptij componere & formare ſua ſymbola non ſermone, aut verborum nominumque constructione, ſed ijs notis figuriſque, quæ integrum quendam

dam de altioribus naturæ Diuinitatiſque myſterijs ſenſum inuoluerent, ingenioſa induſtria ſuos adaptantes ſenſus, ſub obſcuro atque allegorico imaginum inuolucro à profanorum ineruditorumque notitia remotiſſimo ſolis cognita ſapientibus vti. Nam vt rectè Iamblichus lib. de Myſterijs Aegypt. *Imitantes Aegyptij ipſum Vniuerſi Naturam, fabricamque Deorum, ipſi quoque myſticarum reconditarumque notionum imagines quaſdam in ſymbolis conficiendis oſtendunt; quemadmodum & Natura rationes occultas in apparentibus formis quaſi ſymbolis exprimit, & Dij veritatem idearum per manifeſtas imagines explicant. Cum ergò perſpicerent ſuperiora omnium inferiorum ſimilitudine delectari, atque inſuper optent à ſuperioribus bonitate repleri, quatenùs pro ea viribus imitentur; meritò & ipſi conuenientem ſuperis modum agendi pro viribus offerunt; quandò occulta myſteria ſymbolis inſerunt manifeſtis; in quibus interpretandis dimitte voces, accipe ſenſus: Quandò igitur Lutum in ſacris nominant, aut inducunt, hoc intellige Mundi corpus atque materiam genitalemque virtutem huic inſertam, & quaſi pariter agitatam atque fluentem, aut etiam cauſam principalem, & quaſi loco fundamenti præpoſitam elementorum elementaliumque virtutum. Cum hoc igitur tale ſit, Deus ipſe generationis, totiuſque Naturæ virium omnium, quæ inſita ſunt elementis, cauſa; vtpote qui hæc ſuperemineat omnia immaterialis ipſe, indiuiſus, immobilis & ingenitus, totuſque ex ſeipſo, & in ſeipſo totus. Undè Aegyptij Deum inducunt ſedentem ſuper Loton aquaticam ſcilicet arborem, vbi ſignificatur, Deum principatu ſuo mundanum ſuperexcedere lutum, nec attingere gubernando, ſed principatum gerere intellectualem penitùs & empyreum. Omnia enim in Loto rotunda ſunt, tum poma, tum folia, ex quo ſignificatur circularis actio mentis per eadem videlicet, & eodem modo ſe habens. Deus igitur ipſe ſuper hanc inſuper actionem in ſeipſo conſiſtit, ſuperans eiuſmodi principatum ſanctus & venerandus, & in ſeipſo penitùs conquieſcens, quod quidem ex actu ſedendi ſignificat. Proindè vbi Deum introducunt nauis gubernatorem, principalem ſignificant Mundi gubernatorem; ſicut enim gubernator à naui & gubernaculo ſegregatus, vno quodam facilique momento mouet vndique & regit dirigitque nauem; ita Deus ipſe Mundum deſuper, videlicet à primis Naturæ principijs præcipuas motionum cauſas exhibens. Quoniam verò partes Cæli omnes animaliaque Cæleſtia, & totus Vniuerſi motus ipſumque tempus, ſecundum quod ipſe Mundus mouetur, cunctaque denique, quæ continentur in totis, vires à Sole deſcendentes accipiunt; ideò has etiam ſymbolicus ſignificandi modus adducit, verbis quidem deſignans ſecundum animalia cæleſtia figurari, formaſque viciſſim commutare per horas. Intereà verò demonſtrans immutabilem eius, ſimulque totam per totum Mundum traductionem, atque ipſa pro diuerſitate naturarum notionumque ſuarum, multiformes accipiunt à Sole potentias; ideò ſymbolica traditio vult per Deorum multitudinem vnum ingredi Deum, atque per potentias multiformes vnam Dei adeſſe potentiam.* Hucuſque Iamblychus.

Hieroglyphica, non fiunt ex verbis & nominibus sed conceptibus arcanis.

Lutum hieroglyphicè materiam notat.

Dei attributa.

Quid Deus ſupra Lotũ ſedens.

Quid per nauis gubernatorem.

Deus immobilis omnia mouet.

In hoc præſenti ratiocinio veterum ſapientum in hieroglyphicis excogitandis ſolertiam adeò peritè expoſitam vides, vt veluti in anacephaleoſi quadam omnia comprehendiſſe videantur.

Triplex Aegyptijs vſitata literarum ratio.

Epiſtolaris.

Sacra Sculptura.

Appropriata.

Poſt Hebræos, Aegyptios primos literarum ab Hermete Triſmegiſto inuentarum vſum tradidiſſe, in operibus noſtris hieroglyphicis ex innumeris authoribus vbertim docuimus. Triplex autem literarum genus Aegyptijs in vſu fuiſſe, Clemens Alexandr. lib. 5. ſtromatum tradit; quorum prius apud populum & plebæios in vſu, ſcribendis literis aptum, vndè & ἐπιστολογραφικὸν vocat; Alterum erat ſacerdotale, quod ἱερογραμματικὸν, quo in ſacris rebus conſcribendi vtebantur; Tertium ἱερογλυφικὸν, & ſacra ſculptura dicebatur, eò quod abſtruſas huiuſmodi literas ex omnibus Mundi rebus conſtitutas, tanquam abdita ſacramenta Obeliſcis, ac Deorum Dearumque ſtatuis incidere ſolerent. Addidit & hiſce κυριολογικὸν, id eſt, ſcripturam propriè loquentem, (κυριολογικὸν, inquit, eſt ea, quæ per prima elementa propriè loquitur; vt qui Solem pingunt, faciunt circulum, Lunam autem, figuram Lunæ curuæ formam præſeferentem, conuenienter ei figuræ, quæ propriè dicitur.)

Scriptura prouerbialis.

Exempla adagiorum.

Addunt nonnulli hiſce aliud genus hieroglyphicorum, quod gnomicum vocant, quo allegoricis quibuſdam effatis, morum formandorum doctrinam inſinuabant, cuiuſmodi Horapollo poſteritati reliquit: Aegyptij quippe, vt in omnibus operationibus ſuis myſtici, allegoricique, ita in familiari quoque colloquio, breuibus quibuſdam argutiſque ephonematis adagijſque vtebantur, quibus mores, diuerſorumque hominum conditiones vel laudandas, vel vituperandas perſtringebant, quæ & hieroglyphicis ſymbolis adnumerarentur, eorum tamen plerumque in familiari conſuetudine vſus erat, cuiuſmodi ſunt: *Numero* 1095. *ſignatus eſt*; quo pronunciato indicabant hominem mutum; continet enim hic numerus 1095, dies vnius integri triennij, ſi ex 365. diebus vnius anni conſtituatur curriculum, intra quod tempus, dum puer non loquitur, etſi linguam habuerit, vocem tamen nunquam manifeſtaturus eſt. Præterea eum, qui ad hominem ferocem in neceſſitate conſtitutus confugiens opprimitur, indicaturi, id hoc epiphonemate exprimebant: *Noctua paſſerem excipit*; hic enim à venatoribus agitatus, dum ad noctuam confugit, ab ea mox opprimitur. Rurſus hominem indicaturi in ſilentio contemplationis ſtudio vacantem, dicebant, *cicada canit*: hæc enim non ore, ſed alarum ſtridore cantum perficit. Talia ſunt plurima argutè ſanè & mira ingenij induſtria excogitata, quæ in vnum collecta Tomo II. Oedipi Aegyptiaci folio 166. expoſita ſunt, ad quæ Lectorem remitto.

CA-

CAPVT IV.

De myſtica ſignificatione figuræ Obeliſcorum.

CVM, teſte Clemente lib. 6. Stromat. nihil apud Aegyptios actum ſit myſterio non refertum, adeò quidem, vt vel ipſæ domus, Templa, Inſtrumenta, habitus, quos vel in Deorum cultu, vel in ſacrificijs peragendis ſolenni pompa portabant, imò ipſi, quos faciebant nutus & geſtus, myſticum quoddam eſſent rerum altiſſimarum per huiuſmodi ſignificatarum ſymbolum; certè nequaquam temerè aut ſine ratione, aut ornatus tantùm gratia, vt multi perperàm ſentiunt in hyeroglîphica ſua ſapientia poſteris repræſentanda Obeliſcis vſos eſſe putabimus; ſed ſummo ſtudio, & inſigni quadam mentis inueſtigatione eam ſibi comparare voluiſſe cenſendi ſunt figuram, quæ ipſamet myſterijs referta, myſtico ſymbolorum contextui vndequaque reſponderet. Qualem pyramidem quadrilateram eſſe in ſequentibus copiosè moſtrabitur. Nam quod Hieraphantæ particularium rerum ſub ſymbolis expreſſarum deſcriptione connotabant, hoc totum in exteriori Obeliſci, aut Pyramidis facie veluti in Synopſi quadam, aut in ſaxeæ cuiuſdam epigraphes rudimento ἀνακεφαλαιωτικῶς vniuerſim repræſentabant; adeò vt in Naturæ penetralibus nihil adeò abſconditum ſit, quod hic non præfiguratum videatur. Atque hæ ſunt illæ maximæ columnæ, de quibus Iamblicus; in quibus veluti ſub Sileno quodam Aſtrologiæ, Geometriæ, Muſicæ, Arithmeticæ, Theologiæ & Philoſophiæ reconditioris maxima quæuis myſteria recondita latent. Et de quibus Pythagoram, Platonem, alioſque inter Græcos Philoſophos doctrinam & veram philoſophandi rationem didiciſſe, paulò ante ex Iamblicho oſtendimus. Sed vt quæ verbis tantoperè commendamus, ea ſic ſe habere, ipſo opere monſtremus.

Apud Ægyptios omnia myſterijs plena.


Obeliſci figura myſterioſa.

Columnæ Iamblicho quales fuerint.

Dicimus primò, per Pyramidem ſeù Obeliſcum Aegyptios rerum Naturam & informem illam materiam, quæ innatum quendam ad formas recipiendas appetitum habet, repræſentare voluiſſe. Sic enim Abenephius ſentit, verba eius ſunt: vt ſequitur: *Per ipſam figuram pyramidum ſignabant materiam primordialem*; cui conſentit Artephi Arabs, in capite, quo probat: *Ex puncto omnia*, & poſt eum apud Pierium anonymus quidam citatus, ex ſequentibus verbis pulchè deducit. Sicut enim pyramis à ſummo faſtigio L velut à puncto incipit, & per lineas LNOST. in ſuperficies, & corpus abiens, paulatim in omnes partes dilatatur, ſic rerum omnium Natura ab vnico principio, & fonte, qui diuidi nequit, nempè à Deo Summo Opifice profecta, varias deinceps formas ſuſcipit, ac in varia genera atque ſpecies diffunditur, omniaque apici illi, & puncto, à


Obeliſcus ſymbolum totiu, naturæ & materiæ.

Primigenia Mundi origo;



quo omnia manant & profluunt, coniungit; quo sanè optimè repræsentari videtur primogenia illa Mundi origo, quà omnes Mundi partes conformatæ, illam, quam nunc vidimus, speciem effecerunt. Erat enim olim Mundus informis & cænosus, nondum discretis rerum notis integritatem suæ formæ adeptus; nam neque Tellus centrum suum pro fundamento rerum omnium stabilierat, neque Cœli perpetuus motus certa sede voluebatur, sed omnia sine Solis vsu immota, tristique depressa silentio languebant; aliud extabat nihil, quàm informis diffusæ materiæ segnities, antequam principium illud, à quo producta & constituta sunt omnia, salubrem vitæ motum depromens, mundum Mundo redderet, Cœlumque à Terra, & pelagus à Continente distingueret. Quo tempore prima rerum elementa quatuor, ex quibus ceu radice, ac generis principio nihil non gignitur, quæ per pyramidis quadratam basin S T V X expressa sunt, ordinem suum ac formam propriam acceperunt.

Quadrata basis 4. elementa notat



Erat autem hoc vnum inter cætera dogmata Aegyptiorum, vt crederent, omnium rerum in hoc Mundo existentium perfectiones, bonorum item ac malorum commistiones, latentes rerum consensus & dissensus, item spiritus & materiæ in vnum compositum coëuntium mixturam non fieri, nisi pyramidali quodam progressu, adeò quidem, vt ea entia, quæ ab omni corruptionis pernicie remotissima sunt, pyramidis suæ basim supra Solis Lunæque vias in Zodiaco supramundano fundantes, apice suo deorsum verso corporearum rerum orbitam non tangant nisi in puncto. Contrà verò illæ res, quæ terrenæ mistionis inuolucro vestitæ, in Mundo elementari cernuntur, pyramidis suæ basin contrario situ in corruptionis centro fundatam habent, apice sursum verso, immortalium rerum orbitam non nisi in puncto minimo tangant. Hinc illam A B C. Lucis, hanc D E F. tenebrarum pyramidem appellabant, arbitrabanturque, pyramidem tantò plus terrenis rebus immixtam, & tantò maiorem de luciditate sua iacturam facere, quantò plus inferioribus terrenisque rebus immixta, approximauerit. Alteram verò, quantò plus à rebus corruptibilibus remota ascenderit, deque

Lucida & tenebrosa pyramis quid?

terre-

terrena corruptionis labe expeditior fuerit, tantò plus lucis & fulgoris acquirere, donec in immensitate luminis, velut in mari gutta quædam absorbeatur, vt in subiuncta figura patet. Hinc Animam lucidæ comparabant pyramidi, corpus tenebrosæ; Nam Animam corporeis voluptatibus, & cœnosis delicijs immersam, grauem, torpidam & tenebrosam; eam verò, quæ rectæ rationis ductum secuta, ad incorruptibilium & cælestium rerum contemplationem sese eleuauerit, lucidam, cœlestem & angelicam appellabant, à Zoroastre, ni fallor, edocti, qui eadem de causa, animam dicebat alatam esse, alas perdere, cum corporeis cupiditatibus & vitijs acquieuerit, eas recuperare, cum ijs reerescentibus cœlestia petierit; Vndè Sphynges ἱερογλύφας alatas efformabant. Animam alatam dicebat Zoroaster.

Finis itaque principalis, quem Aegyptij in Obeliscorum erectione præfigebant, erat, repræsentare Solis & Lunæ, quorum illum Osirin, hanc Isin vocabant, ob innumera, quæ perenni influxu præstant, beneficia; & per Obelisci quidem figuram exprimebant radios, quos Solis digitos appellabant, eò quod illi veluti ex centro Solis & Lunæ per quadripartitam Mundi partem, quaternis Obelisci lateribus indigitatam, in quadratam Obelisci basin, quà inferior Mundus Hylæus siue Elementaris, ex igne, aëre, aqua, terra constitutus connotatur, diffusi, veluti fœcundo quodam digitorum attactu, omnia animare, omnia conseruare crederent; allegorica hac significatione, beneficiorum, quibus Orbem implerent, magnitudinem insinuantes. Nè verò mysticæ Obelisci figuræ color esset inconueniens, lapidem non quemuis, sed ad Solis proprietatem connotandam, durissimum & adamantica quadam vi & robore præditum, nullis temporum iniurijs obnoxium, quem Græci πυρροποίκιλον, id est, igneo quodam colore variegatum, quem Itali *Granito rosso*, ob particulas quasdam ignei coloris sparsim hinc indè lapidi intermixtas, vocant, assumebant; quoniam verò hunc lapidem quadruplici particularum colore variegatum deprehendebant, alias rubro, quibus ignem, videlicet elementaris sphæræ Solem; alias subalbescentes, quibus aërem; alias ceruleo, quibus aquam, alias nigro, quibus terram significabant, queis aptè sanè exprimebant radiorum Solis excentro Obelisci per quaterna Mundi latera, in inferioris Mundi quaterna elementa, diffusorum processum, & hunc non solùm per Solem materialem, sed & allegorica quadam allusione, ad Genium in centro Solis residentem, quin & ad intellectualem Mundum, secundum analogiam quandam, Solem illum supramundanum, & inuisibilem referebant, cuius principali influxu primò in Mundum Geniorum, & per hos in corporei Mundi Solem, & tandem in hylæi Mundi Solem deriuato, omnia quadruplicis Mundi membra in vnione ad conseruationem Vniuersi conseruabantur.

Solis & Lunæ effectus Obelisci mõstrabant.

Obelisci dicebantur digiti Solis & cur?

Mysticæ figuræ Obelisci congruum lapidem eligebant.

4. Elementa indigitabant 4. differenti bus colorib' quibus lapis constabat.

Sol supramundanus Obelisco notatus.

Ex hisce, ni fallor, luculenter paret ingenium veterum Aegypriorum, quo nihil non, quod tùm ad Diuina, tum ad Naturæ humanæque conditionis Sacramenta innuenda spectabat, assumere solebant. Sed iam ad ipsius Obelisci Interpretationem calamum conuertamus.

SE-


OBELISCVS AEGIPTIACVS
MINERVAE
I
II
III
A
B
C
D
ALEXANDRO
VII
PONTIFICE
MAXI
MO
Septent
Occasus
Meridies
Ortus
Boreas
Zephyrus

SECTIO II.

Interpretatio Obelisci ex omni antiquitate, Authorumque veterum testimonijs stabilita.

CAPVT I.

Diuisio Obelisci.

HIS igitur iam expositis, nunc ad actualem Obelisci Interpretationem nos accingamus. Diuiditur Obeliscus in quatuor latera; in quo primo loco in singulis Scarabæus expansis alis, deinde Accipiter spectatur tutulatus, siue mitratus; ex cuius tutulo Capreolus emergit, duobus hinc indè stipatus baculis vpupæ capite insignitis; habet verò Accipiter à tergo Serpentem seu Aspidem, quam caudâ sua baculo vpupomorpho circumplicatam vides; dorso verò suo appensam gestat Crucem ansatam. Habes itaque hic in prima fronte Obelisci quatuor distincta hieroglyphica; primo Scarabæum, & Accipitrem tutulatum; Secundò 2. baculos vpupæ capite insignitos; tertiò Aspidem; quartò Crucem ansatam dorso Serpentis insertam, quatuor symbola singulis lateribus communia cum ijs quæ, imò eadem in Obelisci Lateranensis prima serie cernuntur, vti & cum omnibus alijs, quæ in hoc Obelisco continentur symbolis, ita vt hic præsens ex minori-



44. Obeliscis (quos P. Victor Romam aduectos fuisse scribit) vnus, non nisi compendium quoddam illius maioris Obelisci, censeri debeat, vti in serie symbolorum explicandorum patebit. Quæ quid significent, iam Diuini Numinis aspirante gratia aperiemus.

Nota, nos in principio dixisse, hunc Obeliscum non fuisse perfectum, sed ab Hieroglyptis, nescio quo impedimento derelictum, siquidem in eo complura desunt symbola, nonnulla quoque incepta & nondum finita cernuntur; & vel ex nudis pyramidij faciebus luculenter patet, in quo principalem figuram (quæ debebat esse Scarabæus extensis alis conspicuus, quem Hieroglyptæ vltimò forsan delineandum distulerant) omiserunt. Atque hanc rem ita se habere, tùm consimiles huic, Obelisci Mahutæus, Mediceus, & Monticælius clarè docent, tum Ars-hieroglyphica cumprimis eum requirit, quin vel ipsa nota c d, quæ Deest in pyramidio figura Scarabæi alis extensis

apud

apud Hierogrammatiftas diftinctionis fymbolum erat, & aliquid præceffiffe fignificabat, in nullo non Obelifco primo loco reperitur; quemadmodum in Oedipo varijs in locis Lector inueniet. Quare nos iuxta veram Veterum Aegyptiorum artem hieroglyphicam, quam multorum annorum ingenti labore ftudioque, nec non ex continua fymbolorum combinatione, tandem Dei gratia didicimus, id in pyramidio omiffum fymbolum Scarabæi, vti è latere patet, reftituimus. Hifce præmiffis ad intentam Obelifci Interpretationem reuertamur.

Ex artis hyeroglyphicæ notitia, interpres omiffa supplet.



Itaque prima fuprà enarrata fymbola, vti vides, in omnibus lateribus funt eadem, in reliquis verò lateribus fymbola etfi differentia fint, in duobus tamen alternis lateribus, fi pauca excipias, per totum fymbolorum contextum pari ferè pacto eadem funt, vti in latere A C. & B D. vides; hoc verò cur factum fit, paulò poft exponemus. His igitur breuiter expofitis, iam inceptam Interpretationis telam profequamur.

Scarabæus quid?

Scarabæi extenfis alis ectypon, nil aliud, nifi fupremum, & inuifibile Numen Numinum, Solem fupramundanum, & intellectualis Mundi principium denotat: Nam vti iam fæpè diximus, fignabant Aegyptij vnâ & eadem re, fub analogia quadam per Scarabæum & accipitrem, non tantùm fiderei Mundi Solem, eiufque præfes Numen, fed fub quadruplici Mundorum conceptu, Solem Mundi intellectualis fupremum Numen, & hoc indicaturi in pyramidio vt plurimum ponebant Scarabæum fub actu volandi, quo innuebant, Numen hoc fupramundanum ex vltimi Obelifci puncto, veluti Diuinitatis fuæ centro in omnem Mundi latitudinem diffundi, omnia fibi inferiora animare, & vi fua mirifica, influxuque ad operandum excitare. Hinc infra pyramidion proximè fequitur nota diftinctionis c d. quæ Mundi fupremi animam ab Anima Mundi fiderei, id eft, Sole quadantenus diuerfum quid indicat.

Quid nota C D.

Intellectuale illud Numen fupramundanum ex abdito Diuinitatis fuæ centro euolutum, in fiderei Mundi animam, qui Sol eft, & per Accipitrem indicatur, nunquam influere ceffat; vndè vita rerum omnium, per Serpentem; per capita Vpupæ, queis fceptra infigniuntur, rerum omnium varietas, quam Dominio in fuperiori & inferiori Mundo, tùm per duos baculos, tùm per Crucem anfatam dorfo annexam, producit, notatur. Verùm ne quicquam proprio iudicio afferuiffe videar, ea ex omnigena eruditione ftabilienda atque confirmanda duxi.

Influxus fupremi Numinis in inferiores mūdos. Serpens fceptra capite vpupæ infignita. Crux anfata indicant,

§. I.

Expofitio Scarabæi qui primum in Obelifco locum obtinet.

Quod verò Veteres Aegyptij per Scarabæum primo pyramidij loco pofitum, fupramundanum Numen, fiue Solem intellectualem omnia virtute fua collustrantem intellexerint; antequam oftendam; Notandum eft pri-

primò, Hieroglyphicum Scarabæi variam pro varia rerum symbolorumque ei coniunctorum ratione, significationem sortiri: Aliud enim significabat, in pyramidio alis expansis, aliud alis contractis positus, aliud denique alijs notis stipatus, quæ vti fusè in Oedipo recensuimus, ita hic ijs repetendis immorari superuacaneum esse ratus sum. In pyramidio verò Obeliscorum positus, maximè Diuinum quid notabat, videlicet, vti diximus, Solem illum supramundanum inuisibili vi sua omnia collustrantem. Scarabæus varia signat.

Sed vt ad Scarabæi hieroglyphicum propius accedamus; nullibi pulchrius & ingeniosius supramundani spiritus operationes in mundo per Scarabæum expressas reperi, quam in Tabula Bembina & est sequens hierogrammatismus, in quo non abstrusis solummodo symbolis effectus & operationes Animæ Mundi exprimuntur, sed & singulæ vniuersi, seu mundanæ machinæ partes, in quas Mundi spiritus agit, singulari ingenij solertia, vel in vno schemate mira metamorphosi concinnato explicantur. Totus hierogrammatismus primo κανθαρο-ανθρωπόμορφος, id est, ex Scarabæo sub captis humani specie componitur; vti in figura patet, & per caput quidem humanum Horum seu Mentem Mundi opificem, per Scarabæum ipsum Mundum, eiusque singulas partes, conuersionesque, ac motûs siderum, cælorumque volumina per circulos collo suffixos indigitant; capiti cornata Lunæ facies in circulum abiens imponitur, quæ innixa Soli id est, Hori capiti scitè sanè, phases Lunares, quas menstrua circumuolutione cum Sole efficit, signat: in cuius centro circuli charaćter in crucis similitudinem diffusus ponitur, quo, vt paulo post exponemus 4. elementorum, prout ☉ & ☾ influxibus substant, motus, arcana quadam naturæ similitudine exprimuntur. Tenet Scarabæus Chelis suis tabellam cum inscriptione vocis ΦVAO, qua voce coptica, quæ amorem significat, pulchra sane indicatur, diuersissimas Mundi partes, specierumque innumerabilem varietatem, nisi amore, totus vniuersi veluti glutino quodam vniri non posse; hic autem amor, cum aliunde quam ab anima Mundi, cuius amor affectio quædam est, non procedat; ideo supra Scarabæum globum videlicet alatum, ex cuius concauo serpens emergit, ponunt, quod dictæ animæ Mundi omnia permeantis, & vitali calore animantis symbolum est: quoniam verò hoc symbolum in Prodromo Copto, vti & in Tabula Bembina, ex qua illud extractum fuit, quam sæpissimè exposuimus, eo Lectorem remittimus. Verum in gratiam curiosi Lectoris, hic idealem sub duplici sensu huius Hierogrammatismi in partes diuisi, lectionem apponendam duximus; vt quam multiplicem doctrinam, vel vnicum hierogramma sub se contineat, Lector dispiciat. Magnorum arcanorum hierogrammatismus.



Paradigma Lectionis hieroglyphicæ.



Iuxta ſenſum proprium ita lege.	*Iuxta ſenſum myſticum ita lege.*
Anima Mundi vita rerum.	Hemphta ſupramundanum Numen, Sol Archetypus.
Totius orbis moderatrix.	Oſiris.
Cœlorum orbitas.	Genij cœleſtes.
Solem.	Horus.
Lunam.	Iſis.
Elementa.	Dæmones ſublunares velati per potentem.
Amore connectit & in ſuo eſſe conſeruat.	Amoris catenam trahuntur alliciunturque.

Varia Scarabæorum forma.

Scarabæum, quem Græci à Sole Heliocantaron, & à felis forma æluromorphum vocant, Aegyptijs hieroglyphicum fuiſſe, quod Solem indicaret, eiuſque effigiem genuinam, non duntaxat hieroglyphicorum Obeliſco præſenti inſcriptorum, ſed & irrefragabilia ex omni antiquitate, vetuſtiſque hiſtoriarum monumentis allata teſtimonia, ſatis ſuperque demonſtrant. Atque vt alios innumeros omittam, teſtantur luculentiſſimis ſanè verbis Suidas & Ælianus, Sacerdotes Aegyptios, Scarabæos ſingulari quodam honore cultos, ſacris Obeliſcis inſculpere ſolitos; quibus adſtipulatur Abenephi de Antiquitatibus Aegyptiorum, dum ſic ait: *Aegyptij Philoſophi ad Solis denotandam excellentiam, Scarabæos paſſim ſaxis inſculpebant.* Verba eius ſunt: الحكما مصر فلما يريدون ان يدلون الفضلة الشمس ونقشوا في الاحجار الصورة الخنفسة *Sapientes Aegypti excellentiam Solis ſignificaturi in ſaxis inſculpebant Scarabæum.* Cui Manethon quoque in naturalium epitome, & Hecatæus de Aegyptiorum philoſophia à Diogene Laërtio citati, de vitis philoſophorum conſentire videntur: *Aegypti*, inquit, *eiuſmodi philoſophiam de Dijs ac iuſtitia dixere; materiam primam principium fuiſſe rerum, & elementa diſcreta, perfectaſque complures animantes, Solem & Lunam Deos eſſe, alterumque Oſirim, alterum Iſim appellatos: exprimere autem illos per Scarabæum & draconem (melius ſerpentem aut aſpidem) ſaxis inſculptos.*

Euſe-

Eusebius Pamphilius inquit: *Inter cætera Soli consecrata animalia, Scarabæum summoperè venerabantur Aegyptij, animatam Solis effigiem esse putantes.* Cuius rei veritatem nobis ostendis gemma apud Laurentium Pignoriam, in quo radiosum Solis seu Hori caput puerile Scarabæo concinnè appositum vides, quæ omnia Serpens caudam suam vorans ambit, vt & daretur intelligi, Horum seu Solem temporum, annorum, totiusque Cyclicæ conuersionis in Mundo Authorem esse, vti sequitur. Scarabæus viua Solis imago.

Sol totius *Vniuersi moderator*

Temporum &  *totius Cyclicæ*

conuersionis *Author*

Hunc itaque Scarabæum (qui inter cætera diuinis honoribus affecta animalia non infimum sanè locum obtinet, Aegyptij, vt vberiorem rerum significandarum haberent materiam, in tres veluti species, seu differentias diuisum, teste Horo Apolline saxis suis, (quæ Soli sacra ob acutam figuram Obeliscos veteres appellabant) ad Solis indicandas virtutes insculpserunt. Ac primæ quidem speciei Scarabæus est αἰλουρόμορφος, feliformis, quem ob eum, quo coruscat, fulgorem cum Plinio & Aristotele non malè χρυσοκάνθαρον, seu cum Aristophane χρυσομηλολόνθιον dicimus. Secundi generis erat bumorphos, seu bouiformis, tauri genuina soboles, nescio quid bouinum affectans. Tertij denique generis Scarabæus Monoceros erat, cæteris dissimilior, Mercurio, teste Horo, sicuti præcedens, seu Tauroeides, Lunæ, ob eius in Tauro exaltationem, consecratus. Quis porrò ex hac triplici Scarabæorum differentia Osiridi, seu cælesti Soli potissimum consecratus fuerit, meritò quispiam dubitare posset. Verùm nè vllus in legentium animis dubitandi scrupulus relinquatur, Dico singulos Osiridi, quamuis non nisi sub diuersorum effectuum, quos Cælestis ille Osiris in hoc Mundo causat, repræsentatione fuisse consecratos; erat enim, teste Plutarcho, hoc familiare Aegyptijs, diuersis vnius rei effectibus diuersa nomina & symbola affingere, vt doctè demonstrat Hieronymus Aleander in Tabulis suis Heliacis, & ego in Protheoria, seu apparatu hieroglyphicorum fusè ostendo. Præcipuè tamen feliformem illum Scarabæum, ob expressam quandam in actionibus suis operum Solis similitudinem, Osiridi, in quantum Sol Mundi sensibilis credebatur, ab Aegyptijs dicatum, testatur hisce verbis Horus Apollo: εἰσὶ τε καὶ κανθάρων ἰδέαι τρεῖς· ἡ πρώτη μὲν αἰλουρόμορφος, καὶ ἀκτινωτὴ ἥνπερ καὶ ἡλίῳ ἀνέθεσαν διὰ τὸ σύμβολον. *Tres*, inquit, *sunt Scarabæorum species; prima quidem Catti referens faciem, & radijs quibusdam veluti insignita, quam ob similitudinem quandam Soli dicarunt.* Tum quia fulgore suo Solis imitatur radios, tùm vt statim indicat, quia ad æluri felisque similitudinem Solis ascensum descensumque, sympathico quodam oculorum pupilla-

Osiridis siue Solis effectus notabāt per Scarabæos quibusque tandem.

Operationes Scarabæi analogæ ad Solis operationes.

D 2 rumque

rumque incremento decrementoque, vt qui sub ortum intendantur, retundantur sub meridiem, cum occasuro verò hebescentes occidant sidere, referre videntur.

His ita positis, magnam quoque Scarabæum, tum quoad operandi modum cum ouo & Cœlo affinitatem habere, testantur singulæ Scarabæi partes; totius corporis Crustacea structura, quà nescio quid ouale ac testaceum affectet, insinuat; vt in præcedenre hieroglyphico cauda Scarabæi docet; tenuibus, diaphanis, ac plicatilibus alis, quæ aëriâ sua forma, igneaque, sicuti & in reliquo corpore seminalis virtutis receptaculo, terrestri Sphæræ totius corruptionis loco vndequaque correspondent. Quid aliud quinque illæ lineæ, quæ in dorso eius apparent, nisi quinque Mundi Zonarum repræsentatio est? Accedit vnumquemque Scarabæum triginta instructum digitis cum sex suis bifurcatis pedunculis; quibus sanè nihil aliud significari videtur, nisi menstrua triginta dierum spacia, quibus singula signa in Zodiaco Sol percurrit: Quæ omnia appositè confirmat Ruellius lib. 2. de stirpium natura, hisce verbis: *Quin & Scarabæus omnibus cognitum animal totidem digitis, aut potiùs pedibus innititur, quot diebus mensis constat, in quibus exoriens Sol suos prosequitur cursus, is Solis & Lunæ coitum nobis apertè demonstrat; quandoquidem è bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versans, in orbis imaginem effingit; quem in 28. diebus facto humi scrobulo adobruens tantisper cælat, dum signiferum ambiens Luna ad intermenstruum reuertens, sileat: aperto tùm orbiculo nouam prolem edit, nec aliam nascendi nouit originem.* Plinius quoque de eodem loquens: *Propter hunc*, inquit *lib.* 30. *c.* 11. *Ægypti magna pars Scarabæos inter Numina colit, curiosa Appionis interpretatione, qua colligit Solis operum similitudinem*, vt supra diximus, *huic animali inesse.* Horus Apollo clarissimis verbis prædicta confirmat lib. 1. c. 10. sic enim ait: *ἔχει δὲ πᾶς κάνθαρος καὶ δακτύλους τριάκοντα διὰ τῶν τριάκοντα ἡμέρων τοῦ μηνὸς ἐν αἷς ὁ ἥλιος ἀνατέλλων τὸν ἑαυτοῦ ποιεῖται δρόμον. Habet*, inquit, *omnis cantharus digitos triginta, ob triginta dies mensis, quibus Sol Oriens suum per singula Zodiaci signa cursum peragit.* Porrò non similitudine tantùm, aut partium veluti analogica quadam repræsentatione, sed motu quoque operandique ratione ac methodo Solem Scarabæus in omnibus æmulari patet; pilulas enim illas, ex quibus ortum Scarabæi habuerint, ad ipsam Mundi formam & imaginem effingunt; Vbi enim bubulum, aut alterius iumenti excrementum nacti fuerint, pilulas efficiunt, quas ab exortu, occasum versus voluunt, ac posticis impellentes pedibus non intermissa rotatione protrudunt, ipsi interim aduersus ortum, teste Horo citato loco, spectant, quasi de industria id dent operæ, vt Cœli ipsius intuendo exemplar, imaginem eius exprimere conentur. Quid verò illud, quod inter trudendum à Subsolano in Africum, quasi astrorum ortui obuiam fieri contendant, qui quidem proprius motus ab Africo ad Subsolanum est, an non in hoc motum Solis proprium etiam affectare videntur?

Magno Scarabæi cum Cœlo affinitas & similitudo.

Ruellius.

30. digiti in Scarabæo quid notent.

Plinius.

Horapollo.

Quid per pilulas quas versat significetur.

Quid

Quid dicam de tempore fœtui excludendo destinato? qui certè ad Solis Lunæque motum exactissimè, vti ex supradictis Authoribus constat, ordinatus est; Nam Sphæræ illæ stercorariæ ad exemplar Mundi à Scarabæo fabricatæ, inque terram defossæ, tanto dierum spacio, quanto periodicus Lunæ motus constat, detentæ, paulatim animari videbuntur, primùm quidem in vermiculos, mox in Scarabæos suo tamen adhuc inclusos folliculo. Nono autem & vigesimo die, pater è nido prodit, pilulas congerit, & singulas, vt diximus, protrudendo in aquam deuoluit, vt qui diem eundem Solis Lunæque ortum conciliare non ignoret, ac proindè Mundi ipsius generationem quandam assimilare, Luna noua incipiente affectet; pilæ autem istæ in aquis emollitæ primùm, atque haud ita multò post adapertæ cum fuerint, informati iam excluduntur Scarabæi, nigrum it campis agmen. Sed & hoc in Scarabæo ouum vltimis pedibus versante sat indicatur. Ex pilula nouus fœtus

Quomodo verò Mundus à supremis Numinibus in perenni suo cursu conseruaretur; scitissime sane, indicat gemma ex Peiresciano gazophylacio extracta, in qua Scarabæus supremum locum tenet, sub acta volandi; deinde Horus baryde impositus, cui à capite & pedibus appositi cernuntur duo accipitres, quo quidem nihil aliud significant Mystæ, nisi Horum, qui Plutarcho teste, idem est ac Mundus hic sensibilis, qui tùm influxu & assistentia perpetua supramundani spiritus, per Scarabæum indicati, tùm Solis ex ortu in occasum per 2. accipitres significati, motu animatus, in generationes rerum vrgetur, & hoc pacto cognoscatur. Lectionem idealem hic appositam vides.

Sol annuo omnium rerum Mundo



motu suo diurnoque in elementari prouenientium

causa est.

Ægyptij itaque sapientes admirabile bestiolæ huius opificium profundiùs pensitantes, paulatim in opificium Mundi huius profunda quadam inuestigatione peruenerunt. Imò Scarabæo Magistro paulatim in spiralem astrorum, Solis Lunæque, & denique vniuersi motum, in spiralem humanæ mentis progressum, in Archetypi denique Mundi circumuolutionum reflexas (si ita loqui licet) agitationes motionesque peruenerunt. Demum Scarabæi opificio veluti archetypo quodam proposito, iuxta quod Lyncei primorum seculorum philosophi operantes, in stupenda Naturæ mysteria, ac reconditissima vtriusque Medicinæ Sacramenta, manuductione sola Scarabæi, penetrarunt. Vnde in summa semper veneratione putidissimum animal apud Aegyptios est habitum, vt si quis illud forsan pedibus Opificium Mundi refert Scarabæus.

triuis-

triuisset, inexpiabile crimen commisisse censeretur; atque huc facit, quod in tract. Arabico, qui dialogus duorum peregrinorum inscribitur de Persa & Aegyptio ad propositum Scarabæi cultum haud iniucunde narratur. Persa enim, dum Scarabæum, luteum orbiculum per semitam hinc inde versantem fortè fortuna calcasset. Fertur calamitosum casum intuitus Aegyptius manibus in Cœlum sublatis, omnia Numina ab hoc se scelere immunem esse protestatus. Persa verò, quid hac insolita protestatione sibi vellet, rogante, neque tu, inquit Aegyptius, vindictam Deorum formidas, qui sacram & animatam Osiridis nostri supremi Numinis imaginem, in qua habitans nos Cœlorum motus, omnemque agriculturæ instituendæ rationem docet, adeo temerè & indignè tractare audes? hac itaque expostulatione emendatus Persa in posterum cautius progressus est; ne lutosum & ridiculum deastrum lædendo, non Deos, sed superstitiosorum hominum iram in se concitaret. Sed hæc anima gratia.

Hieroglyphicum II. Accipiter Tutulatus seu Mitratus.

Accipiter tutulatus si[...] mam in side reo Mundo potestatem indicat.



Diximus in præcedentibus, supramundanum Numen, Solem inquam, in siderei Mundi membra influere, in quo quemadmodum Sol primum locum obtinet, ita quoque Solaris Genius aptè per Accipitrem tutulatum exprimitur, qui vim influxiuam à supramundano Numine receptam inferiori hylæo Mundo communicat, vti posteà exponetur.

Aegyptij cœteris superstitiosiores, præter Crocodilum & Ibidem maximo imprimis honore habebant Accipitrem, dum non solùm per hunc Osiridem designabant, sed cum ipsum veluti præcipuum Numen suum honorabant, vti illud pluribus locis testatum reliquit Plutarchus; præstantissimam enim omnium apud Aegyptios considerationem super Accipitre fuisse, testantur in omnibus penè Obeliscis multiplici figura eiusdem repræsentatæ imagines ac hierogrammatismi ἱερακόμορφοι, cum hunc modò tutulatum, modò ἀνθρωπόμορφον, hoc est, in vnum ex homine & accipitre compositum, nunc in vnum ex Serpente & accipitre transformatum intuearis ὀφιόμορφον, siue serpentiformem, nunc crista, iam tutulo veluti tiarà seu mitra sacerdotali conspicias insignem, nunc extensis alarum remigijs summa veluti petiturum, nunc iterum ijsdem contractis ex alto ad ima se vibrantem; Nunc derepente

Variè Osiris siue Numen Solare exprimitur.

ferina

ferina facie, ac plumoſo capite in humanæ faciei blandimenta abeunte; pedibus per vngues in digitos abeuntibus manibuſque in rectum exporrectis officijs, ἀνθρωπόμορφον hominem mentitur; nunc pedibus in ſerpentinas ſpiras & volumina abeuntibus horridus, aſpidem & draconem refert, de quibus omnibus dicendum eſt, vt tandem tantæ rerum confuſioni modus ſtatuatur; Ac de ἀνθρωπομόρφῳ quidem alibi dictum eſt; nunc quid per tutulatum ſeu criſtatem Accipitrem ſignificarint, videamus. Ac primò quidem Abenephius Animam Solis ſignificaſſe aſſerit: *Et per figuram accipitris denotabant animam Solis.* Cui adſtipulatur Horus: ἐπί γε μὴν ἐπεὶ καὶ δοκεῖ εἴδωλον ἡλίου ὑπάρχειν παρὰ πάντα τὰ πετεινὰ πρὸς τὰς αὐτοῦ ἀκτῖνας ὀξυωποῦν ἀφ' οὗ καὶ οἱ ἰατροὶ πρὸς ἴασιν ὀφθαλμῶν καὶ ἱερακίᾳ βοτάνῃ χρῶνται, ὅθεν καὶ τὸν ἥλιον ὡς κύριον ὄντα ὁράσεως, &c.

Animam Solis accipiter ſignat.

Tum etiam, quod Solis præter cæteras volucres, ſimulacrum eſſe videatur, vtpote peculiari quadam & occulta naturæ vi præditum, dum præter cæterarum auium morem irretortis eius radios oculis ſuſtinet. Hinc fit vt Medici ad ſananda oculorum vitia & incommoda, Hieraciò herba vtantur; Indè etiam fit, vt Solem interdum tanquam viſus tutorem ac Dominum Accipitris forma pingerent. Hinc teſte Æliano: *Accipitrem quoque Apollini conſecrant Aegyptij & venerantur, Oron ſua lingua Deum nunc appellantes; auem autem huiuſmodi Thauſtum nominant; Cum Apolline idcirco conuenientiam habere aiunt; quod ex auibus Soli accipitres ſemper nullo negotio aduerſus Solis radios intueantur, nec irretortis intentiſque oculis ſurſum verſus, iter ſuſcipere grauentur, nec diuina flamma iſtiuſmodi offendantur, ydemque venenoſis beſtijs, vti Ceraſtibus & ſcorpionibus inimiciſsimi ſint.* Scholiaſtes quoque in aues Ariſtophanis, ἱέραξ ἱερωτάτῳ ἡλίῳ Ἀπόλλωνι. Accipiter ſacer eſt Soli, tum propter motus ſui velocitatem (nam vt Sol velociſſimus eſt, ſic volatu ſuo perniciſſimus accipiter) tum propter cognationem ex origine ſui nominis, vocatur enim ἱέραξ ἀπὸ τοῦ ῥᾳδίου ἱέναι, id eſt, à facili motu, qui quidem Soli quàm maximè conuenit: quin & à Cæleſti ſphærarum impetu, ſic eum aiunt dici. Varinus & Euſebius in Homer. ſcilicet ob impetum vehementem, quod inſtar fulminis volatu feratur. Porphyrius quoque lib. 4. de abſtinentia: Deos, ait, aliquot animalium nominibus veteres appellant, vt Felem, Lacertum, Leonem, Draconem, Accipitrem. Giraldus quoque Apollini accipitris genus, quod ἱερακόπτερον vocat, attribuit; Plutarchus quoque in Oſirid. & Iſid. Aegyptij Oſiridem ſæpè accipitris forma pingunt; excellit enim hæc auis acumine videndi, & vi volandi; ὀξυτονία γὰρ ὄψεως ὑπερβάλλει καὶ πτήσεως ὀξύτητι. Accedit, teſte Euſebio, accipitrem lucis & ſpiritus ſymbolum apud Aegyptios fuiſſe; eſt enim Accipiter acerrimi viſus & velocitatis maximæ.

Horapollo. Ælianus accipitrè Thauſtum dicit. Thauſtus myſticè idē quod accipiter nomen Oſiris. Apollini cōſecratus. Porphirius. Gyraldus. Plutarchus. Euſebius.

Aegyptij igitur Accipitris admirandas proprietates conſiderantes, certè aptius ſymbolum ad Solis naturam igniſque indicandam excogitare vix potuere: quemadmodum enim Sol ab omni corruptionis terrenæ mole

Proprietates Accipitris analogæ Soli.

mole remotus, radijs nihilominus omnia lustrat, omnia attingit, omnia fœcundat, immunda à mundis separat; Sic Accipiter cum se nubium tenus altissimè sublimauit, euectis alis, totum illud spacium, quo pluitur & ningitur despiciens, in id se recipit, vbi nec fulmini, nec fulguri locus est, ipse, vt ita dicam, aëris diuinioris fastigio gaudere videtur. Ex quo loco ceu alta quadam specula insigni corporis agilitate in quamcunque partem sagittæ instar labitur, velificantia alarum remigia, quolibet, modico caudæ gubernaculo, dirigit, iam cunctabundo volatu penè eodem loco pendula circumtuetur,& quærit, quorsum potissimum in prædam supernè sese præcipitet, ac mox fulminis instar de Cœlo improuisa simul campis pecora, simul in montibus feras sub eodem impetu cernens, vndè rostro transfodiat, vndè vnguibus dilaceret, vel agnum incuriosum, vel leporem meticulosum, vel quodcunque esni animatum, vel laniatum sors obtulerit; quæ omnia Solis naturæ omninò accommodari queunt.

Aliæ proprietates accipitris.

Volatus accipitris quid?

Hisce accedit multiplex ille Accipitris volatus, quo nihil exactius refert rerum naturalium motum, vti sursum versus recto fertur volatu, ita si supernè in terram delabitur, non id tortuoso & obliquo, sed recto ad nos tramite perficit. Certè sicut varia illa helicum, quæ spirali volatu sensim in aëre decircinat volumina, nihil aliud notant, quàm spiralem Solis reliquorumque siderum motum, ita rectus ille ac veluti perpendicularis motus, quem siue descendendo pullorum impetat agmen, siue ascendendo sublimem in nube Columbam, constanter seruat, nihil aliud nisi linearem elementorum motum designare videtur: motus sanè qui præter accipitrem & aquilam nulli alteri conuenit; omnes enim reliquæ volucres, si cursum arripuerint in sublimia, obliquo ferri tractu curuatisque spacijs agi coguntur; quid aliud quoque scintillantibus illis oculorum orbitis, nisi luminarium splendentia corpora, & latentis ignis vbique diffusa virtus denotatur. Prætereà sicut Sol viuifici caloris motu perpetuò æstuat, ita accipiter sanguine & spiritu viuacissimo turgens, longæua viuacitate sua Solis quodammodo perpetuitatem æmulatur. Cumque Sol omnia radiorum suorum proiectioni in inferiori Mundo veluti oculis quibusdam pellustret, hinc non incongruè Plutarchus lib. de Osirid. & Isid. Accipitris imaginem Solem denotari Aegyptijs solitum, ob eximiam eius videndi facultatem asserit. Eandem ob dotem etiam poliophthalmus, id est, multioculus, sicuti Osiris, dictus fuit. Eodem pertinet, quod, inquit, Epies maximus apud Aegyptios Deorum interpres, vt est apud Eusebium lib. 1. cap. 7. Diuinissimum, ait, serpens accipitris caput habens, valdè iocundum est id, si palpebras erigebat, luce primogenita omnem suam regionem replebat; Cùm verò clausos retinebat oculos, tenebræ fundebantur: vt nullum dubium sit, naturam eius maximè igneam eos existimasse, ac Solis effectus illos, accipitris gestibus demonstrare voluisse.

Calorem Solis, calore accipiter exprimit.

Apud Plutarchum accipiter Deorum interpres.

Eusebius de accipitre.

Atque ex his & similibus ingenij ac naturæ dotibus, non Solis tantùm

tantùm, ſed & aliorum, vti animæ, victoriæ, gloriæ hieroglyphicum connotabant, vt rectè Horus. Hinc eum Aegyptiaca lingua dicebant *Baieth*, quod cor, ſeu ſedem animæ propriam ſignificat, cuius & animæ ſymbolum, teſte Horo, Accipiter erat. Eſt autem *baieth*, compoſitum vocabulum à *Bai*, quod vitam ſeu animam, vel vt ego arbitror, ab antiquo *bai* & *eth*; quod cor ſignificat; vtebantur enim illi libenter huiuſmodi compoſitis vocibus, cum vel ipſam rei originem naturamque, aut quid ſimile ſignificare vellent, quod & apud Hebræos frequentiſſimum eſſe monſtrat שמים, quo Cœlos ex aqua & igne conſtare innuebant. Sed quid iam commercij anima cum ipſo corde habeat, videamus. Aegyptiorum opinio fuit, cor eſſe animæ receptaculum, ex compoſitione verò duarum illarum ſyllabarum, *Bai* & *eth* in vnam dictionem, fit vox Baieth, quæ Accipitrem ſignificat. Ergò ſicut animæ ſedem in corde, ita Animam Mundi in Sole reſidere credebant; atque ideò pro ſanguinis ſymbolo accipitrem pingebant, ſanguinis enim victu eum viuere & nutriri credebant. Cur autem eum potiſſimùm dedicarent Mercurio, multæ ſunt cauſæ, quarum prima eſt, quod Apollinem, quem in apparatu noſtro eundem eſſe cum Mercurio demonſtrauimus, in hunc alitem ſe ſæpius tranſmutaſſe comminiſcantur: quemadmodum & aliàs eum nunc Lacerti, modo Leonis, iam Draconis habitum induiſſe fingunt; Vnde hunc Deum Phœbum, quo nomine Solem intelligebant & venerabantur, & accipitris ſubindè nomine inſigniebant, & hinc ob maximam naturæ accipitrinæ cum Sole ſimilitudinem, Apollinis præcipuum nuncium, eiuſque voluntatis interpretem, poëtæ eam auem habitam fabulantur. Vndè Ouidius de Arachne puella cum Minerua de lanificio certante, lib. 6. Metamorph. ita canit.

Ⲃⲁⲏⲉⲑ

Ⲃⲁⲏⲉⲑ

Accipiter lingua Aegypt. Baieth dicebatur, & cur.

Bai eth, cor & animam ſignificat, & quare,

— Eſt illic agreſtis imagine Phœbus
Vti modò accipitris pennas, modò terga Leonis.

Homerus: accipiter Apollinis velox nuncius. In hanc auem quoque Dædalionem conuerſum nugantur Poëtæ. Sed de hac fabula lege Ouidium lib. 11. Metamorph. Eſt enim accipiter animal ſolare, & occulta quadam naturæ ſimilitudine fertur ad ſolaria. Hinc ſolari herba oculos purgat. Hinc ad Solem illum ſubterraneum, aurum, inquam, maxima ei ſympathia; Accipitris enim oſſa aurum, magnetis adinſtar attrahere, non tantùm Aegyptij, ſed & Plinius ipſe nouerat, ſic enim ſcribit: *Apud Arabes quoque, ex oſſibus accipitris ignem elici, aurumque attrahi ſcriptum inueni*. Aelianus lib. 10. de animal. cap. 14. ait: *Os tibiæ accipitrum ſi ad aurum admoueatur, hoc ipſum illecebra quadam mirabili non ſecus ac Magnes ferrum, ita hoc quaſi præſtigijs & captionibus quibuſdam aurum ad ſe trahere*. Sed hæc fusè diſcutiuntur in Alchimia noſtra hieroglyphica.

Homerus.

Accipiter Solaris naturæ, oculos Solari herba purgat oſſa eius aurum trahût Plinius.

Ex his itaque patet, cur Solaris Numinis in Vniuerſum Mundum beneficia, per tutulatum accipitrem ſignificarint. Tutulus apud Aegyptios erat ornamentum capitis, quo operiebantur,

Quid tutulus, & varietas eius?

E qui

qui in adytis operabantur Sacerdotes hieromystæ, ad similitudinem cidaris seu mitræ, qua sub accipitris forma Osirin insignitum credebant; qui quidem tutulus variè adaptabatur, modò fructibus confertus, modò Perseæ fructu & folijs, iam Capreolo vitium, vti hoc loco, expressus cernebatur, quo quidem nil aliud nisi Osiridis siue Solis supremum in vegetabilis naturæ Oecomeniam dominium potestatemque innuebant. Vide quæ de hoc tutulo, in Obelisco Lateranensi, Flaminio, & in Minoribus Obelisci III. Tomo Oedipi, multis transegimus, quò Lectorem remittimus.

Quid Capreolus vitis ex tutulo emergens.

Hieroglyphicum III. Serpens ansatam Crucem tenens, & hastæ Vpupæ capite insignitæ.

Serpens, siue Aspis quid?

Accipitrem tutulatum sequitur immediatè Serpens, seu vti Aegyptij volunt, Aspis, quæ dorso suo ansatam gestat Crucem, cauda verò se hastæ, siue sceptro Vpupæ capite insignito circumplicat; quo quidem nihil aliud indicatur, quàm vita rerum, quam supramundanum archetypon Numen, Sol supramundanus per Scarabæum expressus influit in spiritum, seu siderei Mundi animam, Solem, inquam, per accipitrem indicatum, & per hunc in quadripartitam Hylæi siue elementaris Mundi plagam, per crucem ansatam propriè indicatam, vti postea exponetur: Circumplicatur deindè cauda sua sceptro seu hastæ Vpupæ capite insignitæ; quo scitè innuitur, ex vitali hoc influxu, rerum omnium in inferiori Mundo varietatem nasci: Quæ omnia vt clariùs patefiant, primò per serpentem vitam & spiritum supremi Numinis, per crucem ansatam, diffusionem in inferiorem Mundum, per sceptrum vpupomorphum, varietatem rerum in Mundo; quam hoc vitali influxu producit, indicari, iam varijs authoritatibus probare conabimur.



Quid baculo Vpupæ capite circumplicato notent.

Serpentis symbola.

Cum nihil inter Hieroglyphica symbola Serpente frequentiùs occurrat, quid Aegyptij per huiusmodi symbola indigitauerint, hoc loco exponendum est. Sciendum itaque Aegyptios, vti curiosos naturæ omnium ferè animantium Aegypto propriarum inuestigatores, ita & Serpentis fuisse. Cum enim viderent, Serpentem nullo manuum pedumque ministerio, solo oblongo corporis tractu procedere, nullo prætereà membro præter os, constare, animal igneo spiritu plenum, viuax, senectutem quotannis, deposito veteri exuuio, in iuuentutem instaurare, fieri non posse crediderunt, quin aliquid magnum, excellens, & prorsus diuinum sub ijs lateret; accidebat hisce, quod vndulato illo plicatilis corporis

Quid per proprietates Serpentis expresserint.






poris motu omnes propè figuras exprimerent, dum videlicet nunc caudam capti admouentes in circulum contortum, æternitatem iam in ſpiras conuolutum, ſphærarum cœleſtium volumina præſefert; iam in longum extenſum lineam rectam, iam curuam, iam planam, modò corporis erectione normalem; iam multifario ſquamarum ordine, veluti totidem ſtellis rutilum, ſibilo quoque & triſulca lingua formidandum exhhibet, hæc, inquam, dum contemplarentur in Serpente, eum tanquam reconditiſſimum præſtantiſſimarum rerum ſymbolum adhibuerunt. Verùm quæ & qualia per eum connotarint, videamus.



Primò itaque Epies Phœnix apud Euſebium, Deum Emepht Serpente, ſeu Aſpide ſignificatum, his verbis docet: *Draconis & Serpentum naturam ipſe Tautus (vti & Phænices ac Aegyptij) diuinam putauit; ſpiritualiſsimum enim omnium animal, & igneum ab ipſo traditum. Nam ſpiritu abſque manuum aut pedum, & omninò alicuius organi exterioris argumento, vt cætera videmus animalia ferri, eximiam celeritatem aſſequitur, variaſque figuras, & formas gradiens, inuoluto reuolutoque, vti & ſpirituformi, ad quam vult celeritatem, greſſu facillimè præſtat. Longæuum etiam eſt, nec ſolùm ſenectutem cum pelle deponens reiuueneſcit, ſed creſcit etiam in adoleſcentiam reductum, cumque determinatos adimpleuerit terminos, in ſeipſum reuolutum, rurſum reuiuiſcit; ſicuti in ſacris pariter ipſe Tautus conſtituit; quapropter in ſacris hoc animal, & in myſterijs fuit aſſumptum, de quibus & in alijs ſuis propoſitionibus plura adducit, in quibus refertur, quod immortale ſit, & in ſeipſum, ex quo prouenit, reſoluatur, non etiam moriatur morte propria hoc animal, niſi violentà percuſſum interierit. Hinc Phænices ipſum vocant bonum Demonem, ſicuti Aegyptij Kneph appellant.*

Epies phœnix de aſpide.

Longæuitas Serpentis.

Aptè itaque naturam Diuinam per Serpentis naturam & operationes notabant, quæ omnia ex dictis patent. Hinc Græci, teſte eodem Euſebio, Aeſculapium ſalutis Numen, τῆς σωτηρίας δυνάμεως σύμβολον Serpente referebant: *Serpens circumuolutus ſalutis corporis & animæ ferens ſymbolum. Mundum enim contemplantes phyſici, cætera quidem reptilia craſsioris dicunt, & terreſtris eſſe ſubſtantiæ, Serpentem verò ſpiritaliſsimum animal eſſe dicunt, quod & imbecillitatem corporis exuat, & ad medicinam aptiſsimum eſſe videatur; Nam & ad acuendum viſum inuenit phamacum, & ad reuiuiſcendum herbam quandam noſſe narratur.* Præterea Aegiptij Mundum ſignificantes, Serpentem pingunt, qui caudam propriam depaſceretur, eumque varijs maculis inſignem depingebant, de quo Claudianus.

Aſpis bonus Dæmon a Phœnicibus dictus.

Aeſculapiũ Græci per Serpentem exprimebãt.

Euſebius.

Perpetuumque virens squamis, caudamque reducto
Ore vorans, tacito relegens exordia lapsu.

Quod proculdubio significat, omnia, quæ Diuina prouidentia in Mundo generantur, ab eadem solui celerius, siue paulatim imminui atque deficere, in se recipi, fierique id propemodum; iuxta illud, in id resoluimur ex quo sumus, quod paulò ante hisce verbis pulchrè indicat Eusebius ex mente Phœnicum, cum de natura Serpentis loqueretur, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναλύεται ᾧ προειρήκαμεν, vt vel indè appareat, Mundum ex seipso ali, & in se resolui; Nam cum æterna sint elementa, neque córruptione, neque variatione per se vlla immutentur, corruptioni tamen ac variationi subiecta videntur, ea parte, qua, pecierum informationi admiscentur, semper tamen ipsa incolumi permanente.

Serpens in circulum tortus quid?

Iterum cum viderent, Serpentem terrestris substantiæ, & ex putri vt plurimùm genitum, tortuoso corporis tractu fluctuationis rudimenta Terram; sibilo, sonoque formidabili aërem; tota præterea substantia squamarum splendentium ornatu, nescio quid igneum exprimeret; haud incongruè quatuor elementa per id indicare consueuerunt; per corpus quidem, quod terreum & grauissimum est, Terram; per tortuosum corporis tractum, vtpotè qui vndarum fluctuationes exprimit, aptè sanè aquam; per sibilum verò rectè Aërem, subiectum soni; Ignem denique totius vigore substantiæ, & tricuspide lingua ignis symbolo appositè denotabant; quæ omnia Horus lib. 1. cap. 2. innuit. Porrò quamuis per Serpentem dicta quatuor elementa exprimerent; non tamen singula eodem modo, sed diuerso Serpentis situ & conformatione exponebant; Sic vitalem Terræ spiritum, vel ipsam Terram, quam Mesi, vel ophta, id est Genium omnia moderantem vocant, per Serpentem prostratum, & bicornem, cuiusmodi nihil in Obeliscis frequentius est, depingunt. Aquam verò denotantes, Serpentem pingunt, tortuoso corporis tractu, vndarum volumina exprimentem, cuiusmodi est Serpens, quem in Quinto Libro Obelisci Pamphilij exhibemus in expositione figuræ ex Barberinorum Gazophilacio eductæ, vt in fig. B. notabant. Deorum itaque in Zodiaci anníque administratione curam indicaturi, Serpentem pingebant vndulatum, siue in aquæ fluentis formam dispositum, vt exprimerent gyros, quos Sol veluti in cælestis æquoris vndis per 12. signa totidemq; menses, dum motu suo conficit, omnium, quæ in Mundo sunt, rerum productionis causam esse; 12. signa & menses aptè per Serpentem tortuosum indicatos vide. Quia verò 5. dies anno solari Aegyptiaco ad 360. desunt, hosce significare voluerunt per 5. gyros prin-


Quid squamæ, & sibilus Serpentis indicet,

ⲙⲉⲥⲓ ⲟⲫⲧ

Cur Serpés Ophta ab Aegypt. dicetur.

Quomodo 4 elementa per Serpentem exprimerent.

B




principales, quibus totidem genij insident & sunt Osiris accipitrinà, Isis humanà, canirà Anubis, Mophta leoninà, Hermanubis denique ibidis facie, totius anni, Aegyptique Tutelares; pennas in manu habent, vt ijs occultum agitationis motum innuerent, atque hosce veluti temporis moderatores, rerumque omnium totius anni decursu in inferiori Mundo nascentium tutores, conseruatoresque coluerunt; quid verò propriè per 5. istius anni tutelares, seu Deorum natales indicetur, Plutarchus scite docet: *Rhea aiunt occultè cum Saturno congressa, Soli, qui id flagitium deprehendisset, imprecatum fuisse, vt neque in mense, neque in anno pareret. Mercurium amore Dea captum tum cum ea congressum, deinde in ludo cum Luna victorem septuagesimam partem cuiusuis diei abstulisse, ac 360. diebus adiecisse, qui 5. dies nunc ab Aegyptijs missi à Gracis epagomena id est adiectij vocantur, & natales veluti Deorum festa agunt.* Genium aquarum, Mophta dictum, hoc est, à *moi* & *ptha*, quorum illud aquam, hoc copticè Deum siue Genium notat. Aërem verò exprimunt per sibilum Serpentis iacentis, & trisulca lingua veluti sibilantis; per trisulcam tres aëreos Mundos, in quos dominium suum exercet, notabant; vndè Zeuta, id est, vitam huiusmodi characterem appellabant. Porrò ignem significaturi aspidem erectum, vel altari, vel capitibus Deorum impositum, cuius capiti globus insisteret, pingebant; quo igneam quandam vim Vniuersum permeantem indicare solebant; atque huc respiciunt ea, quæ paulò ante ex Eusebio & Horo adduximus; hanc vim quoque notabant per circulum, cui serpens insertus, Θ Græcum aut Coptum exprimeret, quam Tauta vocabant; quo, teste Eusebio, Spiritum igneum toti Vniuerso infusum aptè signabant. Spiritum verò Mundi eo, quo sequitur modo exprimebant, vti ex tabula Bembina paret; in quo aspidem vides accipitrino capite conspicuam; alis expansis in volandi actu constitutam, cauda productâ & in volumina contorta, quo schemate spiritus mundani igneam quandam vim & efficaciam, qua omnia penetrat, innuunt, vti prima figura in schemate ostendit.

ⲙⲱⲟⲩ ⲫ† Mopha Numen Aquæ præses.

Cur Zeuta dictus.

Diuersitatē significationis serpentum schema e regione notat.



Patet itaque, cur per serpentem Mundani spiritus vitam in omnia diffusam,

ſam, & cur ex vilibus elementaris miſcellæ principijs, tantam rerum varietatem expreſſerint. Sed iam ad Vpupæ hieroglyphicum exponendum procedamus.

Hieroglyphicum IV. Vpupæ.

20



Duo ſceptra Vpupæ capite inſignita, quæ Solare Numen, per accipitrem, quem ſtipant, ſignatum, nihil aliud notant, quàm duplicem in ſuperiorem inferioremque Mundum dominationis poteſtatem, qua ſumma illa rerum naſcitur varietas, quam in vtroque Mundo cum admiratione intuemur, quamque perpetua illa corruptionis generationiſque viciſſitudine in hylæi Mundi mixtis producit. Quamuis inter Obeliſci noſtri hieroglyphica Vpupæ figura integra non compareat, quia tamen caput eius ſceptro impoſitum ſubindè inter alia non infrequenter apparet, quid per Vpupam & ſceptrum, eius capite inſignitum indicauerint, hoc loco explicare viſum eſt.

Cur in Comaſijs ſceptrum Vpupę capite inſignitum tulerint? Varię de hoc hieroglyphico ſententiæ

Inter cætera itaque portatilia, queis ſimulacra Comaſiarum dicta, ornata videbantur, ſceptrum quoque κȣκȣφόμορφον, ſeu Vpupæ capite inſigne erat, cuius ignorantia multis quoque magnam errorum materiam ſuppeditauit. Pierius quidem non Vpupæ ſeu Cucuphæ, ſed Cicumæ,

hoc

hoc est Ciconiæ caput esse existimat ; quod falsum esse , ex Festo & Isidoro , qui eam Noctuam interpretabantur , patet. Goropius Becanus multa de hoc, fingendo , more suo , nobis per Cucupham , Galeritam omnibus modis intendit obtrudere , cristà forsan delusus ; Alij Ciconiæ asserunt esse caput, sed quis vnquam cristatam vidit Ciconiam, nisi fortè pro Ciconia gållum intelligat calecuticum. Sed erroris materiam protulisse videtur , vtriusque maxima in suos φιλοστοργία . Nos vt difficultatem , quam Authores in hoc nodo dissoluendo reperiunt , tandem dirimamus , hoc dicimus nihil aliud esse , quàm caput Vpupæ , quod ex Arabico facilè liquebit: Abenephius enim hoc loco sceptrum vocat Vpupæ capite insignitum : قصوبة جصورة الراس الهدهد hoc est , *sceptrum, cuius extremum caput Hodhod*, quam autem Camus Arabum , verbo هدهد appositè describit.

Cum itaque Vpupæ, insigne fuerit sceptrorumque hieroglyphicorum ornamentum, quod & stabilimentum Naturæ ab Hieromantis dicebatur, nunc videndum est, quarè varietatem rerum per illius caput indicauerint. Videbant Aegyptij Vpupam auem multicolorem, & pulchram, plicatili cristà instructam, vti ex figura patet, raris virtutibus præditam, eam à sacrarum literarum Catalogo abesse noluerunt; Nam vt rectè apud Aldrouannum Kiranides: *Vpupa est septicolor, regimen habens in capite, altitudine digitorum duorum , quod aperitur & contrahitur , estque quatuor colorum, conuenientium ad quatuor anni tempora*. Septem igitur colores habet Vpupa, quibus verisimile est , Aegyptios significasse septem planetarum radios , quorum commixtione , sicuti colorum quadam contemperatione omnes res inferiores, id sunt, quod sunt. Per quatuor autem colores, queis cristam Vpupæ constare indicat Kiranides, non tantùm quatuor anni tempora, sed quidquid illis analogum est, intellexisse probabile est, vti quatuor elementa, quatuor Lunæ phases , quatuor Mundi plagas , quatuor Zodiaci triplicitates, similiaque ; habet iuxta superiorem descriptionem crista Vpupæ, nigrum, albo subflauum, ruffum & cinereum colorem, qui pulchrè quatuor elementis conueniunt, ita vt niger Terræ , aquæ cæruleus, albus aërei, flauo-fuscus igni respondeat, qui veluti primarij colores alijs mixti, infinitas colorum diuersitates producunt . Sic elementa radijs cœlestibus incitata, mixtisque coniuncta , infinitas rerum species gignunt . Sic Luna tot nimirum dierum spatio , quot iuxta Aegyptios Vpupa plumas habet in crista, viginti octo nimirum, (tametsi alij dicant viginti sex) periodicum cursum perficiens, totum Lunarem annum in quatuor dispescit partes, quas quadrantes appellant Astrologi, quarum vnaquæque alicuius elementi qualitatem possideat; ita vt prima sit calida sicca ; secunda, frigida sicca, & sic de cæteris; quod & ἀναλόγως de quadrantibus Solis , Vere , Aestate , Autumno , Hyeme , dici potest; Siquidem hoc quadripartito anni tempore totus Mundus quasi renascitur. Atque huc respexisse videntur Aegyptij, quandò Horum, hoc est, Mundum

7. colores in Vpupa.

4. elementa notat.

Lunæ symbolum crista Vpupæ.

Horus cum sceptro quid notet?



dum significare volentes, puerum pingebant reticulata vesle, & sceptro Cucuphomorpho in manibus, vt in Obeliscis nostris, & Bembina tabula patet; sine hoc enim Horus nullibi hoc situ pictus cernitur. Mundus enim non secùs ac infans singulis annis Vere nascens, æstate iuuenescit, maturescit Autumno, hyeme senescens tandem moritur, & mortuus mox resurgens, se varietate rerum conspicuum præbet. Quæ omnia pulchrè & exactè coloribus in crista Vpupæ conspicuis, cuius sceptrum proprium Hori est, repræsentantur. Hinc quoque septies hoc sceptrum in Bembina Tabula positum cernitur, iuxta colorum in crista Vpupæ obseruatorum multitudinem, toties nimirum], quot colores à Kiranide in Vpupa recensentur esse, vt monstrarent varietatem hanc rerum in septem potissimùm subiectis sensibilibus huius Mundi reperiri, in Terra, Aqua, Aëre, Igne, animalibus, plantis, fossilibus.

Sceptrũ Vpupinum septies in tabula Bembina ponitur

Atque hæc est varietas rerum, quam per Vpupæ caput in sceptro Hori relucescentem innuerunt Aegyptij; quam rerum varietatem ipsa auis natura nobis dupliciter indicat; primò crista, quam surrigere potest, & depressam recondere, teste Plinio; Secundò exuuio ipso plumarum, quibus Hyeme & Autumno denudata latet, teste Theophrasto; quo patet, varietatem istam rerum nunc latere, nnnc apparere, prout Horus ille verus Mundi oculus plus recesserit, aut appropinquarit.

Proprietates Vpupæ.

Atque hìc quoque notandum, quod vbicumque in Tabula Bembina ponitur Isiacus character, seu Tau ansatum, etiam poni sceptrum cucuphomorphum, quod & in Obelisco nostro obseruatur, de quo postea. Quo sanè nihil aliud insinuate voluerunt, nisi admirandam virtutem spiritus Mundi, qui ex admirabili sua per vniuersum diffusione, maximam in Mundo rerum indicat varietatem; ac proindè ingeniosè Aegyptij illa simul coniungebant, vti fusiùs alibi indicauimus, sed & vtrumque amuleti loco adhibebant, vti & de charactere Tautico in alijs nostris operibus diximus; cui quoque fidem facit de Vpupa testimonium Alberti Magni, & Euacis, qui eam vocant Auem totam præstigiosam & auguralem; & Magi in magno eam semper pretio habuerunt. Sed hæc de Vpupæ hieroglyphico, quoad rem nostram sufficiant.

Vpupæ caput semper Tau adiunctum habet.

Qui plura desiderat, is consulat Opera nostra hieroglyphica, & potissimum Obeliscum Pamphilium lib. 4. Hierogrammatismo 15. de Vpupa.

Hiero-

Hieroglyphicum V. Tautica Crux ansata, quam dorso alligatam tenet Serpens.



Quemadmodum inter hieroglyphica Symbola, Cruce illa ansata, quam & Tau, siue Tauticam notam vocamus, nihil notius frequentiusque est, ita quoque varij varijs diuersisque agitati sententijs, & opinionibus, varias quoque explicationes, seu potiùs coniecturas prodiderunt. Ruffinus lib. 11. cap. 29. id significasse putat vitam venturam: Verba eius hæc sunt: *Signum hoc Dominicum Crucis, inter illas, quas dicunt ἱερατικάς, id est, Sacerdotales literas, habere Aegyptij dicuntur, velut vnum ex ijs, quæ apud illos sunt, literarum elementis, cuius literæ seu vocabuli hanc asserunt esse interpretationem, vita ventura.* Sozomenus lib. 7. Eccl. instit. cap. 13. *Aiunt Templo isto Serapidis diruto & disiecto, quasdam ex ijs, quas vocant hieroglyphicas notas similes signo Crucis inscriptas lapidibus apparuisse. Ab ijs autem, qui docti hæc talia, explicatam eam notam significare dicunt, Vitam venturam.* In Socratis quoque historia hæc breuiter: *Theodosio Magno regnante, cum fana gentilium diruerentur, inuentæ sunt in Serapidis Templo hieroglyphicæ literæ habentes Crucis formam, quas videntes ij gentilium, qui Christo iam addicti erant, aiebant, significare Crucem apud peritos hieroglyphicarum notarum, vitam venturam.* Lipsius in suo tractatulo de Cruce, cum mysticum hoc Crucis ἔκτυπον admirabundus considerasset, tandem ingenuè fatetur, nescire se, quid id significet, & cur toties in omnibus hieroglyphicis Syntagmatis insculptum reperiatur. Gretserus vult, annulum istum ei impositum, oculum significare; per oculum autem Ægyptij significabant Solem, vndè & eum oculum Iouis appellant.

Crux Ansata siue Character Tauticus.

Ruffinus. Vitam venturam indicasse censet.

Sozomenus idem sentit.

Socrates. idem sentit.


Lipsius.

Gretserus.

Sed ex his & similibus apparet, nec Lipsium, nec Gretserum vidisse Obeliscos, qui modò in Vrbe inueniuntur, vel si viderint, non exactè comparationem huius figuræ cum alijs passim hinc indè occurrentibus instituisse, quod occasionem præbuisse videtur errori, quo putant hoc Symbolum per signum T solummodò repræsentatum fuisse; cum illa non ea tantùm figura, quâ Gretserus noster eam describit, occurrat,

sed omninò diuersis figuris. Fallitur quoque Iacobus Bosius, quamuis in hoc negotio præ cæteris acurior, qui eam vult tantùm illa figura poni, qua hìc delineatam vides ♀. Verba eius Italica sic sonat: *Percioche l'anello, ò sia il circolo, stà sopra il Tau, ouero sopra la Croce, non è in modo alcuno figurato, mà per tutto è intagliato, e scolpito, come in seguente figura si vede, non solamente ne gli Obelisci, mà in tutti gl'altri sassi e fragmenti dell Egittiache antiquità hieroglyphicate, ch'in Roma si ritrouano.* Quod falsum esse, pace boni viri dixerim, manifestissimè patebit ijs, qui paulò diligentiorem fecerint huius cum cœteris comparationem; Ego sanè, qui nihil non intentatum in hieroglyphico hoc negotio enodando reliqui, dum ad calculum reuoco, & singulari scrutinio omnia pensito, in ipsis exemplaribus hunc characterem duodecies & pluries, diuersis modis scriptum ex omnibus hieroglyphicorum fragmentis, quæ aut Romam, aut tempora nostra vsque peruenerunt, connotaui, quorum figurarum diuersitatem hìc ob oculos pono Lectoris.

Bosius putat Crucem ansatã hûc ♀ charactere expressisse.



Ex quibus luculenter cognoscitur, in omnibus hisce figuris, Crucis figuræ circulare quid admixtum, quod mysterio nequaquam carere existimandum est, vti posteà videbimus. Verùm vt post tot, atque adeò diuersos ingeniorum conatus aliquid certi de hac figura statuatur, nos quid de ea statuendum sit, ostendere aggredimur. Ac primò quidem de origine huius figuræ, & qua ratione ad Ægyptios translata sit, audiamus. Sic igitur dicit Abenephi: *Crucem autem circulatam Misraim à Noë per patrem Cham accepit, ille ab Adamo, quæ quidem nihil aliud est, nisi character mysteriosus, cuius ope Angelus Raziel Adamum maxima quæuis mysteria edocebat, qui character per continuam successionem posteris temporibus per Noë ad Cham, & ab hoc per Misraim ad Aegyptios peruenit, Cham quoque illum in vsum magicum conuertit, & multa eo miracula & prodigia edidit.* Hinc Aegyptij stupefacti, illum varijs modis accommodantes in proprium vsum conuerterunt, amuleti loco vsurpantes; processumque naturæ in rebus sub ipso symbolicè expressum, vehiculum dixerunt spiritus Mundi sic ille. Cui adstipulatur Rabbi ille apud Hæbreos si quid tamen ei fidei concedi potest, quem ob singularem vitæ sanctitatem ac doctrinæ excellentiam רבנו הקדוש id est, Magistrum nosttum Sanctum appellant, in libro, quem Raze Galeia, id est, Reuelatorem arcanorum vocat, Hic ad Antonini Consulis Vrbis Romæ petitionem, qui ipsum interrogauerat, ex qua arbore excisa esset Virga, quà Moyses miracula faciebat, atque vndè eam nactus fuisset, ita respondit: *Quod me rogas de Virga Mosis, tibi notitiam dare, dicam tibi*, quod de hoc ipso scriptum reperi à Rab. Simone filio Iochai in libro qui

Origo Crucis ansatæ.

Cham in magicis artibus hoc charactere vsus

Vehiculum spiritus Mũdi significat.

Simeon Iochai.

dicitur

dicitur מחוקר הסידות id est, Inuestigator secretorum, qui liber etsi apocryphus & fabulis confertus sit, hoc tamen eum loco allegandum duxi, cum nostro instituto nullo sit præiudicio. Sic autem dicit: *Virga illa, quà Moses & Aharon miracula faciebant in terra Aegypti, & posteà in deserto floruit, gemmasque edidit, ab ea arbore excisa est, quam Moses ostendit in deserto, vt aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc arbor excisa est ab arbore vitæ, quæ in Paradiso sita erat angelorum manibus, quam quidem miserunt Adæ, cum ille misisset Seth filium suum ad Paradisum, misericordiam Dei imploraturum, de suo peccato; dixeruntque Angeli ad Seth, vt plantaret hanc arborem, futurum, vt quò primum fructum faceret, Misericordia Dei in eum descenderet, aperirenturque portæ Cæli, quæ obseratæ sunt. Hanc autem arborem, seu potiùs ramum accepit Seth, plantauitque in deserto, quàm posteà Moses inuenit, & ex ea virgam suam exscidit, ideoque Dei virga dicta est. Cum autem Israël ad Marah consisteret, neque illas aquas bibere posset, Deus ostendit Mosi hanc arborem, quà aquas illas redderet dulces; & hæc est arbor illa, in qua Moses serpentem imposuit, per quam Deus vniuersum Orbem saluum facere instituit, & mittere misericordiam suam super Adam, cum venerit Messias; Tunc enim hæc arbor fructus gestabit, quibus secundò amaræ aquæ efficiantur dulces, purgabitque primum peccatum, omniaque delicta, quæ fecerunt facturique sunt homines.* Et paulò post: *Docui te arcanum, cum contemplaberis arborem scientiæ boni & mali, & insuper arborem vitæ, quæ in paradiso sita erat, ac etiam Serpentem, qui Heuam tentaturus accessit; intelligas, quamobrem virga Mosis in terram proiecta, serpens effecta est, moxque per caudam accepta eleuataque à terra, virga redierit, vt erat, absorbueritque omnes virgas Magorum Aegypti, qui idem faciebant, sicut dictum est Zachar. 13. cap. Et erit in die illa dicit Deus Exercituum, exscindam omnes arbores à terra &c.* Item intelliges, cur Deus miserit Serpentem Israël in deserto, & tamen præceperit Mosi, eique dixerit num. 21. cap. *Fac tibi serpentem, & pone eum super lignum. vt quicunque morsus viderit eum, viuat. Hoc enim significat, quod quicunque morsus fuerit à Serpente peccatorum, respiciens in serpentem in arbore collocatum, superuiuat; & quoniam ex arbore vitæ hic ramus excisus fuit, fructus eius vitam afferunt Mundo.* Hæc omnia ad verbum ille, quem ipsi Magistrum nostrum רבנו הקדוש S. appellant. Quod porrò Abenephi dicat, istud signum mysteriosum fuisse Crucis symbolum, testatur Cabalisticum fragmentum, quod habetur apud Galatinum, in illud psal. c. 39. *Retrò & ante formasti me, & posuisti super me vitam tuam, scilicet manum tuam.* Hinc Cabalistæ in reconditiori sua Theologia, arborem Sephiroth ea ratione formant, vt tres proprietates seu מדות, vt ipsi vocant, cum Sephirà תפארת, quam ipsi arborem Vitæ in medio paradisi plantatam dicunt, constituant in perfectam Crucis figuram; Vnicuique autem Sephirot diuinæ attribuunt quatuor Angelos, quos alibi repræsen-

Virga Mosis hoc caractere signata.

Miracula per Virgam

Mekubalim Hebræorum de arbore Sephiroth.

tauimus. Atque hoc mysterium Adamo primò post præuaricationem in ramo, quem Angelus in Paradiso ei transmisit, repræsentatum aiunt, vt ante dictum est. Lege Raphaëlem Aquilium in Tractatu de SS. Trinitate.

Atque horum paulò ante citatorum testimonia veritati haud absimilia esse, liquet ex antiquo Hebraico Alphabeto, quod tibi R. Azarias proponit, in Libro, quem intitulat מאור עינים Lumen oculorum. Et Vilalpandus in Explanat. Ezechielis cap. 9. fol. 129. Cum multa de Significatione literæ Tau discurrisset, tandem ita concludit: *Quod si roges, vndenam Gentiles hæc signa sacra, imò mysteria tam abstrusa discere potuerint? Respondeo, non esse nouum, Romanos à Græcis, Graecos ab Aegyptijs, Aegyptios ab Israëlitis multa accepisse pietatis nostræ Sacramenta. Nam & Epiphanius Auctor est, Aegyptios memores illius diei, quo à cæde Angeli liberati sunt Israëlitæ, qui sanguine agni postes domorum delinierant, solitos esse, intrante æquinoctio vernali accipere rubricam, & illinire omnes arbores domosque vniuersas, clamantes, quia in tempore hoc ignis vastauit omnia, contra quam luem remedium putant igniculorem sanguineam rubricam.* Hanc cum Thephilim quoque seu Totaphot, in pergameno agni mundissimo in modum Crucis descriptam, quatuor sententijs ex Sacra Scriptura depromptis, brachijs & fronti olim affigebant ex mandato Dei; de quibus plurima in Zohar inuenies, & passim apud Cabalistas.

R. Azarias.

Villalpandus,

Cum igitur signum T character fuerit mysticus, & propriè Hebræis in summa veneratione; Aegyptij autem pleraque ab Antiquis Hebræorum acceperint, quemadmodum iam sæpè ex Clemente ostendimus, verisimile est, cùm ex dictis, tùm ex ratiocinatione Abenephi, hunc characterem quoque ab Hebræis mutuatos esse Aegyptios, vtpote curiosos figurarum obseruatores; vtrisque quidem mysticum, sed diuersorum mysteriorum significatione dissipatum. Dicimus igitur, characterem hunc apud Aegyptios Tauticum, celeberrimum non præcisè significare Vitam venturam, quemadmodum vult Ruffinus, Suidas, alijque supradicti Authores; sed verisimile est, totum hunc rumorem exortum esse à Iudæis, qui tum temporis Aegyptum exules peruagabantur; Videntes enim signum hoc T toties in imaginibus eorum repetitum, passim salutem suam, seu vitam venturam ex patrum suorum traditione interpretabantur, vti dictum est. Nos verò congruentiùs dicimus cum Abenephio, illum Characterem nihil aliud apud Aegyptios significasse, quàm Diuinæ mentis in rerum omnium productione motum & diffusionem. Quàm alta itaque & sublimia per hunc Characterem denotarint Aegyptij, penitùs discutiamus. Quamuis Character ille forma multiplex reperitur in sacris sculpturis, nos tamen hîc de charactere huius loci proprio, qualem nimirum sacris simulacris vt plurimum appositum videmus, agemus; de alio charactere, Crucis Andreanæ formam præferente, fusè egimus in Pro-

Crux ansata idê quod Tau Hebræorum à quibus Aegyptij eam acceperant.

Crux ansata diuinæ mentis motum in omnia diffusum notat.

Prodromo & in Explicatione Tabulæ Bembinæ, quamuis etiam hi characteres ijdem ſint, vt poſteà patebit.

Conſtat igitur Character iſte duabus heterogeneis lineis, circularibus & rectilineis, apparetque nihil aliud eſſe, quàm Characterem illum, quo antiqui Aſtronomi Aegyptios ſecuti denotabant Mercurium, ſic ☿; Vndè & characterem Tauticum dicebant. Per circulum denotabant Diuinæ mentis diffuſionem in Mundum ſidereum, & per crucem diffuſionem in elementa, quem lapſum elegantiſſimè expreſſum hieroglyphicè videmus in Obeliſci Lateranenſis, lateris primi tertiò hierogrammatiſmo, hoc ectypo. Vbi ſerpens ἱερακόμορφος ex circulo prodiens ſeſe inſinuare videtur Mundo huic ſenſibili, per Crucem anſatam ſignificato, adeò quidem, vt circulus nihil aliud niſi motum Diuinæ mentis, vt ſuprà fusè demonſtrauimus, ſignificet. Serpens autem ἱερακόμορφος nihil aliud, niſi ſpiritum illius, qui per vniuerſam Mundi molem diffunditur: vti fusè in hierogrammatiſmo XVII. Serpentis in Obeliſco Pamphilio actum eſt. Hinc Anaxagoras quatuor elementis conſtitutis & per Crucem indicatis, ijs motorem adiungit, ſiue Spiritum, ſiue Deum, ſiue Mentem, vt Proclus interpretatur, per quem hæc quatuor regantur. Aduertebant enim Aegyptij duos potiſſimum ſimplices motus in rerum natura elucescentes, rectum ac circularem; hunc per circulum, illum per rectas exhibebant; Elementis enim extra ſedes naturales dimotis, ſuos ad eaſdem reditus non aliter, ac per rectas lineas facere experimento comprobabant. Non igitur incoogruè per quatuor rectas & vnico puncto indiuiduoque in contrarias excurrentes partes, quatuor elementorum (in quæ elemeutata ſingula tandem reſolui poſſunt) innuèrunt myſterium, confirmant ea, quæ in Cabala Saracenica me annotaſſe memini. الحنفسة
الحكما مصر والما كانوا يدلون العناصر يكتبوا لمربع بصورة الصليب
Philoſophi & Medici Aegyptij partium Indiæ & Græciæ indicaturi quatuor elementa, quadratum ſub figura Crucis pingebant.

Cum verò myſticus ille character plerumque tùm in Bembina Tabula, tùm in Obeliſcis, cæteriſque ex Aegypto adductis Idolis ſpectetur, quibus vt plurimùm ille character manibus inſertus, vti ſuprà in Oſiridis ſtatua cernitur, mira alicui forſan videri poſſit huius ratio, quam proindè paucis explicemus.

Notandum igitur, Aegyptios huiuſmodi characteres myſteriosos in magna ſemper veneratione habuiſſe, non tantùm ob ſumma, quæ in ſe continere videbantur myſteria, ſed vel maximè, quia huiuſmodi charactere, naturali quadam Sympathia Genios cœleſtes allici poſſe perperam credebant. Mundum enim, cum dicerent eſſe veluti animal quoddam, in quo partes, quamuis loco diſtantes, propter naturam tamen vnam ad ſe inuicem ferantur, ipſamque conciliatricem Mundi, & cauſam communem omnium miſtionum trahere ad ſe inuicem partes, vt Iamblichus ait, ſuapte natura; hinc eiuſmodi tractus & appetitus arte quadam præter ordi- Tauticus Character efficax amuletum Aegyptijs.

ordinem augeri posse existimabant. Nam vt rectè Iamblichus ait: *Aegyptij imitantes ipsam vniuersi naturam fabricamque Deorum, ipsi quoque mysticarum reconditarumque notionum imagines quasdam in symbolis conficiendis ostendebant, quemadmodum & Natura rationes occultas in apparentibus formis quasi symbolis exprimit, & Dij veritatem idearum per manifestas imagines explicant, præsertim cum perspicerent, superiora omnia inferiorum similitudine delectari, atque insuper optent à superioribus bonitate repleri, quatenus pro viribus imitentur; meritò & ipsi conuenientem superis modum agendi pro viribus offerunt; quandò occulta mysteria symbolis inserunt manifestis, in quibus interpretandis dimitte voces, accipe sensus.* Aegypti igitur huiusmodi symbolum sub certis temporibus Cœlique situ efformabant, maximè sub Ariete & Mercurio, ex quibus signis, vti suprà demonstrauimus, constituebatur character; Sole enim in Ariete exaltato, & Luna cum Mercurio maximam virtutem cœlitus acquirere arbitrabantur, tum ad Genios in Diuinationibus perficiendis, rerumque inuestigatione eliciendos, tum ad contrarios Genios Typhonios propulsandos vnde hunc characterem hunc variè ab Hierogrammatistis veteribus expressum fuisse reperio; primo sub Taurina facie; qui & secundi in Zodiaco signi character est; Secundo per circulum cum sextilis Lunæ phasi, cui Crux adnectitur, & Mercurij proprius character est. Tertio per characterem Veneris cui cornua Arietis super imponuntur; per primum, Aspidem per secundum Anubidem seu Mercurium Aegyptium; per tertium Isin seu Venerem Aegyptiam, cuius fœcunditas per cornua Arietis indicatur, exprimere solebant; sed iam hæc amplius exponamus. Pingebant Aegyptij circulum, quo Solem referebant Stellarum omnium principem & cæleste Numen, vtpote à cuius benigna luce cuncta animarentur. Cum verò sine Lunæ concursu Solem nil efficere posse viderent, Lunam circulo superimposuere, quod connubium ☼ & ☾ appellabant. Prætera, cum ☼ & ☾, omnem virtutum effluxum potissimum in Mundum hylæum, siue elementarem exerere comperirent, characteri ♉ Crucem ✠ affixere; quo notabant spiritus omnia permeantis fœcunditatem; quem deinde Græci veluti symbolum, ad

Varia huius characteris forma.



Vene-

Venerem generationis deam exprimendam assumpserunt; cum verò geneticam Veneris facultatem sparsam & seminatam à deastra per omnes Mundi partes intuerentur, spiritum videlicet Animæ Mundi, siue Solis dantis vniquique formam, vitam, essentiam & durationem, cum inquam, eam inueniri viderent in omnibus rebus, in homine, in bestijs, in terra, aqua, aëre, igne; in animalibus in fluminibus, in montibus, planis, vallibus, syluis, pratis, plantis, animalibus; semicirculum Lunæ, vel etiam cornua Arietis ei apposuerunt, & ortus est, celeberrimus ille & sacer Mercurij character, quem nos in Obelisco Pamphilio, spiritum Mundi, seu quod idemque omnia ad se attrahentem interpretati sumus. Sed hæc omnia aptè & clarè describit Marsilius lib. 3. de Vita cœlitus propanganda vti seqnitur.

Aliquis autem quæret, quas potissimum Cæli figuras imaginibus imprimere solerent Aegyptij. Sunt enim ibi formæ oculis valdè conspicuæ, & à multis quales sunt, quasi depictæ, vt ♈. ♉. similesque figuræ Zodiaci, & quæ sunt extra Zodiacum manifestæ. Sunt ibi prætereà formæ quamplurimæ non tam visibiles, quàm imaginabiles, per signorum facies ab Indis, Aegyptijs Chaldaisque profectæ, vel saltem excogitatæ. Veluti in prima facie Virginis Virgo pulchra sedens, geminas manu spicas habens puerumque nutriens. Sunt denique characteres quidam Signorum & planetarum ab Aegyptijs designati. Volunt igitur imaginibus omnia hæc insculpi; vt si quis expectet proprium à Mercurio beneficium, collocare eum in Virgine debeat, vel saltem ibi in ☽ cum affectu Mercurij, & imaginem tunc ex stanno conficere, vel argento, in qua totum sit Virginis signum & character eius, characterque Mercurij. Constituebant quidem vniuersam eorum formam ad Cæli similitudinem rotundam; Antiquiores verò figuram Crucis cunctis anteponebant; quia corpora per virtutem agunt ad superficiem iam diffusam; prima verò superficies Cruce describitur; sic enim imprimis habet longitudinem & latitudinem; primaque hæc figura est & omnium quam maximè recta, & quatuor rectos angulos continet; effectus verò Cælestium maximè per rectitudinem radiorum angulorumque resultant; tunc enim stellæ quàm maximè sunt potentes, quandò quatuor Cæli tenent angulos, Cardines Orientis videlicet Occidentisque, atque medij vtrinque Cæli, sic verò disposita, radios ita conyciunt in se inuicem, vt Crucem indè constituant. Crucem ergò veteres figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum. Ideòque habere summam in imaginibus potestatem. ac vires & spiritus suscipere planetarum. Hæc autem opinio ab Aegyptijs vel introducta fuit, vel maximè confirmata, inter quos characteres Crux vna erat insignis, vitam futuram significans, cuius figuram pectori Serapidis insculpebant, vidimus characterem hunc multis rebus impressum. Ego verò. quod de Crucis excellentia fuit apud Aegyptios ante Christum, non tam muneris stellarum testimonium fuisse arbitror, quàm virtutis præsagium, quam cum Christo fuerat acceptura. Astrologi Marsilius Ficinus.

autem,

autem, qui statim post Christum fuerunt, videntes à Christianis miranda per Crucem fieri, nescientes autem, vel nolentes in IESVM tantum conferre, in cælestia retulisse. Atque hactenùs Marsilius. In quo veluti in breui quodam compendio omnia ea, quæ hactenus fusè dicta sunt, comprobantur. Sed hæc confirmantur ab Arabe quodam Anonymo, qui in libro manuscripto sic dicit. قالوا المصريون ان قوه قبيره في الحرف الطاو

Ab Antiquis accepimus, magnam in decussata figura, hoc est, Crucis symbolo inesse vim & efficaciam. Expositis iam quatuor principalibus Symbolis, omnibus lateribus communibus, iam ad particularem Interpretationem singulorum laterum procedamus, quod fiet, vbi primum specimen aliquod Lectionis dederimus.

Lectio Idealis dictorum Symbolorum.

Supramunda- num Numen
influit vir- tutem suam
In Siderei Mundi Solare
Numen, vn- de Vita in Mun-
do elemen- tari, & summa
rerum varie- tas nascitur
ex vbertate Crateris Osiriaci



in quem continuò influit.

CAPVT II.

Reliquorum, quæ in primo latere Boreali Obelisci continentur symbolorum expositio.

Vas Niloticum. Tripes Sacer loti flore insignitus, catena quid.

I. IN primo itaque latere infra accipitrem, quadrato inferitur Vas Niloticum, & tripes Sacer. Iam singula exponamus. Diximus omnia vasa, quemadmodum mystica quadam ratione conficiebantur, ita quoque potentissimum incitamentum fuisse, ad Solare Numen quà placandum, quà attrahendum, oppidò creduli sibi superstitiosiùs Aegyptij persuadebant, vndè in numerum quoque amuletorum assumpta magnum vsum habuerunt. Vas Niloticum quidem & tripes, præterquam quod ex certa materia Solari Naturæ conformi conficerentur, sacro quoque lymphæ Niloticæ liquore replebantur, sine qua nihil in sacrificijs fiebat;

fiebat; Erant autem triplicis generis, vel enim fiebant ex pyrite, quem *granito roßo* vocant Itali, vel ex fulgida & ſplendida ſolaris naturæ argilla in fornace cocta; vel etiam ex ligno Perſeæ, ſolaris naturæ arbore, vti & tripes, in quo ſacra varijs ceremonijs peragebant; omnia verò tot & tantis ritibus inſtituebantur, vt nihil in ijs non myſticum ſpectaretur; vides tripodem in ſuperiori parte Loti florem referre, deindè in ſacræ catenæ formam, quam σειρὰν vocabant, elaboratam, queis ſignificabant, quod quemadmodum Loti flos phebæo calore attractus ad Solem perpetua ſe vertigine conuertit, ita fieri quoque credebant, vt Solare Numen Oſiris hoc ſymbolico apparatu attractus Hieromantarum ſe votis cum plena ſatisfactione ſiſteret; & hoc argutè ſanè per tripodem tribus circulis, veluti annulis quibuſdam concinnatam efformabant, quo Oſiridis ſupremi in triplicem Mundum diffuſi attractum exprimebant. Vide quæ de hiſce in Obeliſco Pamphilio fol. 446. & in Oedipi Tomo III. & in omnibus ferè Obeliſcis ſemper obuijs, quàm ſuſiſſimè egimus; neque etiam ſatis fore, ea Obeliſcis inſculpſiſſe rebantur, ſed inſuper ea in varijs materijs Soli congruis effigiata, veluti ſummæ efficaciæ contra aduerſarum rerum occurſum amuleta geſtabant.

II. Sequitur modò Papilio παντόμορφος, litera h ſignatus vna cum iunco Nilotico, vel ſi mauis caule papyraceo. Papilio Dracontomorphus. Iuncus Niloticus quid?




Quæ quid notent, indicemus. Primò itaque toti Mundo dominari volunt potentiam quandam, quam, vt ſuprà ex Iamblicho oſtenſum fuit, pantamorpham vocabant, id eſt, omniformem, quam nonnulli Hylei, ſiue materialis Mundi præſidem, Colcodean Arabes dicebant, eò quod formas ſingulis rebus congruas conſentaneaſque deſtinet; ex quarum formarum apta diſtributione, ſumma illa rerum varietas, in rerum omnium humano generi neceſſarium vſum emergat; atque hoc Numen aptè ſanè per papilionem δρακοντόμορφον indigitarunt. Eſt hoc animal Aegypto proprium, & inter papyreta paſſim reperitur, bicorne, caudam habet ſerpentis in morem effigiatam, alis amplis & patulis præditum, nunc binis, modò quaternis pedibus, vti hìc inſtructum. Huiuſmodi animal Aegyptij notabant, ex vili verme primò in bipedem; deindè in quadrupedem excreſcere, mox alis innumera figurarum varietate imbutis, cornibus quoque conſpiciendum ſe præbere: vt proindè mirum non ſit, eos, dum prodigioſam hanc metamorphoſin viderent, id ceu congruum ſanè præſidis materialis Mundi ſymbolum aſſumpſiſſe; hìc enim ex materia formarum appetitiua, diſpoſitionibus præuijs introductis veluti ex chao quodam elementaris miſcellæ per omnes Naturæ gradus, geneſin ſuum extendit; vnde primò bipedum genus per binos, mox quadrupedum per quaternos, pedes, deindè volucrum varie- Natura Draconis omniformis ſeu papilionis. Quid per Papilionem.

tatem per alas variegatas, bisulcum genus per duo cornua, reptilium per caudam aptè indicatam, haud ineptè expresserunt; ex quibus Naturæ ludibundæ ingens illa, cùm in rerum necessariarum vsum, tùm in vniuersi decorem varietas profluxit, quam per papyraceum thyrsum pulchrè signarunt: Est enim papyrus, vti in proprio hierogrammatismo huius plantæ diximus, planta aquatica Aegypti propria, stagnantis Nili filia, omnium rerum necessariarum in inferiori Mundo, per segmentum sphæræ indicato, copiam præstans; Ex hoc sibi cibum, vestes, vtensilia cuncta, teste Theophrasto, procurabant. Accedit, quod memoratum animal in hunc fruticem naturali quodam appetitu, vtpote ex quo generationis suæ originem hauriat, feratur; quo simul occultè insinuare voluerunt Numinis πολυμόρφου in bonum inferioris Mundi, ad quod destinatum est, promouendum, curam & vigilantiam; & quomodò omnia quoque ex aqua seu humido, veluti rerum principio prodierint. Meminit porrò huius animalis Diodorus, & Herodotus in Clio, vbi mentionem faciunt dracunculorum ex mari rubro quotannis in Aegyptum volantium: προσκυνοῦσί τε τοῖς ἑρπετοῖς διὰ τούτων τὴν φύσιν πολύμορφον. *Reptilia adorabant propter diuersitatem naturæ eorum variæ.* De quo vide & Eusebium suprà citatum. Veruntamen hæc rerum varietas non in elementari duntaxat Mundo conspicitur, sed & in triplici Angelico, Siderio, & Elementari Mundo, id est, Sole, & Luna, & subterraneis partibus; & primò quidem Angelicus Mundus, tametsi formarum materialium incapax sit, habet tamen secundum analogiam quandam, suam & ipse suo modo consideratam congruam formarum varietatem, Solis sapientibus conceptibilem.

Papyracei thyrsi significata,

Segmentum circuli inferiorem Mundum notat,

L K



N

His itaque expositis, duo sequuntur hemisphæria, quæ vti in Obelisco Pamphilio alijsque hieroglyphicis passim occurrentibus declarauimus, notabant veluti horizontem Mundorum, in quem suam virtutem Tutelaria Numina influebant.

III. Sequuntur modò duæ figuræ horizontalibus segmentis insidentes, & sunt aspis K surrecto ceruice, & accipiter L veluti contracto corpore, quandam molestiam præseferens, quæ figuræ sæpèsæpius in Obelisco Lateranensi occurrunt. Quid verò significent, aperiamus.

Aspis & Accipiter dormiens,



Sequitur papilionem Aspis K squamato pectore surrecta, frequenter vti in hoc, ita & in alijs Obeliscis obuia, ponè quam Accipiter, qui contracto collo, veluti dormire videtur, assidet. Per hunc Osiris indulgens, per Aspidem, teste Eusebio, Agathodæmon Ophionius indicatur; quæ duo in

vnam

vnam ſtatuam, vti hic in ſigura apparet, conflata Aegyptij in ſolemnitatibus comaſiarum ἱερακόμορφον, id eſt, Aſpidem Accipitris capite horrendam producebant, de quo Arius apud Euſebium his verbis: *Primum idque diuiniſſimum animal eſt ſerpens Accipitris formam habens, valdè gratioſum; id ſi palpebras erigebat, primogenitam omnem ſuam regionem replebat, cum verò clauſos tenebat oculos, tenebræ fundebantur.* Sed explicemus myſterium. Oſiris cæleſtis iniqua mortalium vita offenſus ſubindè dormire rebus fidei ſuæ commiſſis videtur; vndè magna Mundo incommoda & perturbationes naſci, eo verò vigilante, omnia veluti lætitia compleri neceſſe eſt; dormiente Oſiri, Aſpis ſubdelegatus eius Agathodæmon, vitæ mortiſque arbiter, omnia inferiora conuellit, diſſipat, & vt Horus lib.2. cap.2. ait, ſolo flatu interimens omnia: Oſiri verò conuenientibus cærimonijs culto, omnia Mundo bona proueniunt; Vndè Aegyptij meritò ſingulari cultu tam implacabile Numen mulcere ſolebant: quod ſi intra ſacra oculos tenuiſſet clauſos, ſummorum id infortuniorum, quæ Regnum ſubire debebat, omen erat; oculis verò patulis & benignis iucundiſque viſum, maguam promittebat bonorum in Regno vbertatem. Appoſitè itaque hoc loco hæc ſymbola ponuntur; e quibus Accipiter Oſiris denotat clementiam, bonitatem, pietatem & beneficentiam; Aſpis verò Martio rigore tumidum, vti ſquamatum pectus, quod ſurrigit, ſatis oſtendit, iuſtitiam, ſeueritatem & rigorem ſummum Oſiridis, qui tunc primùm emerſerit, quando clementia & pietate Oſiridis depoſita, rigor iuſtitiæ in Mundum influxerit; tunc enim in Cœlo malignorum influxuum coaceruatio, in elementari verò Mundo ſumma rerum diſſidia, ſterilitas in terris, contagio in aëre, in rebus publicis tumultus ac ſeditiones mox naſcuntur.

Expoſitio ſymbolorũ.

Accipiter Oſiris bonitatem aſpis ſeueritatem notat.

Sequitur deindè hemicyclum ſignatum litera M. cum fæmore pedeque humano, queis ſignabant occultum in inferiori horizonte Numinis Solaris proceſſum, ac ſæpè in hieroglyphicis inueniuntur nunc vno pede, quo in occultioribus Elementaris Mundi Vulcaniſque receſſibus progreſſum; duobus verò in ſuperiori terræ facie prudentem Iſidis proceſſum notat, vti innumeris Oedipi noſtri locis expoſuimus.

Pes vnus, aut duo pedes quid?

IV. Sequitur modò oualis figura o. p. cui includuntur figura globi, brachium extenſum manu capreolum tenens, ſacra catena, quam σειρὰν vocabant, cum figura aræ, & brachio altero Capreolum manu geſtante, tandem vas Niloticum; p quæ quid indicent, explico.

Sacræ tabulæ expoſitio.

o 

Notandum Aegyptios, huiuſmodi ſchematiſmos ſiue ouali, ſiue quadrangulo incluſos, non alio, quàm ſacrarum tabularum nomine appellaſſe: Erant autem ſacræ tabulæ varia ſymbola, vti dixi, Ouali aut quadrangulæ figuræ incluſa, & magno in pretio tenebantur, eò quod non tantùm maguorum, vt ipſi putabant, myſteriorum indices eſſent, ſed &

insuper incredibilem vim & efficaciam, ad Genios quà attrahendos, quà placandos habere delusa imaginatione crederent; & sunt pro diuersitate Numinum, quibus dedicabantur, varia, vti Obeliscos examinanti patebit; Obeliscis inscribebantur veluti prototypis, quæ tum in priuatos Sacerdotum & Hieromystarum in sacrificijs vsus, tum priuatis in amuletorum fabricam ad aduersam Geniorum ἀντιπαθείαν auertendam cederent. De quibus fusè tractatum vide in Tertio Tomo Oedipi, fol. 221.

In hac itaque sacra Tabula sex symbola inclusa spectantur: videlicet globus, seu circulus, qui vbicunque ponitur, nil nisi diuinum quid, cæleste & æternum notat. Nam vt rectè Pierius in suis hieroglyphicis: *Vnus*, inquit, *circulus descriptus aut simpliciter, aut alteri cuipiam picturæ circumductus, nunc, semper, perpetuum, & æternum, nunc omnia, quippè τὸ πᾶν significabatur Aegyptijs, nempè quod in ea figura neque principium, neque finem inuenire sit, quod æternitatis est proprium, id est, Dei*. Porphyrius apud Eusebium cap, 3. de præparat. Euang. *Pila*, inquit, *& rotunda omnia Deo, Mundo, præcipuè Soli & Lunæ attribuuntur, in circuli formam aras, templa figurabant*. Vide Obeliscum Pamphil. de hieroglyphico sphæræ & circuli fol. 379. Sequitur circulum in sacra Tabula brachium capreolum manu tenens, qua beneficentia Numinis indicabatur. Nam vt rectè Diodorus: ἡ μὲν δεξιὰ σὺν δακτύλοις ἐκτεταμένοις ἔχουσα συμφαίνει Βίου πορισμόν. *Dextra digitos extensos habens significat rerum omnium necessariarum suppeditationem*; ἡ δὲ εὐώνυμος τήρησιν καὶ φυλακὴν χρημάτων. *Sinistra verò contracta conseruationem & custodiam facultatum*; Dicitur autem brachium Osiridis, eò quod Nilus, vbi se in mare exonerat, veluti in digitos quosdam dispertitus, vnà cum Nilo veluti in brachio venam cardiacam exprimat, à qua vita & tota Aegypti felicitas dependet, & Capreolus in manu sat ostendit; est enim Capreolus nil aliud, quam extrema illa & vltima teneriuscula pars vitis, vel Cucurbitæ aut Conuoluoli, quæ in helices quasi lineas contrahitur, suntque veluti manus quædam vitis ad sese fulciendas à natura ordinatæ, quidquid enim apprehenderit, adeò tenaciter eidem se circumuoluit, adeò tenaciter stringit, vt vix ab eo extricari possit, atque hoc Capreolo scitè sanè vegetabilis naturæ appetitum, quo in superiora, à quibus vitam obtinet, fertur; Accedit, quod vitis inuentio Osiri, teste Herodoto, Diodoro, Clemente Alexandrino, & Eusebio adscribatur; Hinc in sacrificijs vitis, perseæ similiumque plantarum frondes manibus gerebant Sacerdotes; quæ omnia fusiùs in Obelisco Pamphilio prosecuti sumus fol. 362. vt proindè non incongruè beneficentia Osiridis per huiusmodi brachium inter hieroglyphica passim obuium indicetur. Quomodò verò brachium hoc Nilum exprimat, Abenephi Arabs hisce verbis exponit.

Terra Aegypti recta protensa est instar brachij humani ex Austro in Boream, & Nilus permedium eius transiens instar venæ cardiacæ, cum mari approximauerit, tunc terram veluti in digitos quosdam dispe-

Globus. Circulus quid?

Brachium cum Capreolo Vitis in manu quid?

Capreolus quid?

Nili fluxus brachium cum manu digitisque exprimit.

dispescit. Hinc Nilum ex Austro in Boream tendentem, teste Plutarcho non incongruè effluxum Osiridis dixere veteres; Quod Nilus in Austro ortus, vti summa felicitate Aegyptum beare, ita mari (quod Typhonium Regnum Osiri contrarium) redditus, felicitati Niloticæ finem imponere videbatur; Ad hanc itaque sinistræ Typhoniæ potestatis violentiam perfringendam, Tutelares Aegypti Osiridis asseclas sacrificijs prius placatos mirum in modum ad succurrendum allaborare credebant; Quæ pulchrè sanè in hac sacra Tabula exprimuntur. Vides duo brachia cum capreolis, intermediam aram cum catena, & Nilotico vase, queis innuebant, Osiridis beneuolentiam contra Typhoniam vim sacrificijs, quæ per Aræ figuram indicantur, & per sacram catenam, id est, per triplicis Mundi Tutelares, congruis ritibus & cerimonijs prouocandam esse, vt tandem contra omnem aduersam Typhonis vim, solita Nili, qui per vas Niloticum innuitur, felicitate fruerentur.

V. Sequitur sacram Tabulam sacra Traha signata litera Q. sacra traha, cuius multus erat in sacris vsus, & erat *γεωργικὸν* siue instrumentum agricultorium, quo post inundationem Nili onera sacra, loco curruum (quorum rotas limus, quo tellus obruebatur, non ferebat) vehebantur; & vti hàc quoque constituto Comasiorum festorum tempore, sacra simulacra ferebantur, ita quoque Traha inter sacrorum symbolorum numerum adscripta cultus Nili originem præbuit, à quo totius agriculturæ tanti in Aegypto momenti, ratio dependebat; Trahebatur autem à boue, quem, vti in Hierogrammatismo Apidis Obelisci Pamphilij docuimus, viuam Osiridis imaginem credebant, qui in Bouem transmutatus, teste Plutarcho opera agriculturæ docuisse tradebatur, quod etiam in alia sacra Tabula Obelisci Medicei quarto lateri inserta cernitur, vti hic vides. Traha sacra quid?



Cuius sensus idealis hic est: *Tunc 6 Apis seu Osiris terrestris beneficus* 10, *inferiori Terræ Regno* 11 *propitiabitur, cum Niloticas in cultu fluminis cerimonias, ritu & cultu analogo; per sacram traham dicti cultus symbolum, iuxta præscriptas leges obieritis*. Quæ correspondent huic sacræ Tabulæ; cuius idealis Lectio hæc est.

Diuini beneficia Osiridis, mediantibus sacris, & catenà Geniorum procuranda sunt, vt Nili beneficia obtineantur.



Circulus. brachium, ara, catena, brachium, Vas Niloticum, quid in Tabula sacra signent?

Sequuntur modò duo sceptra, quorum prius *αἰγυμόρφον*, id est, hircino capite, alterum Loti flore insignitum, quæ quo respiciant, accipe.

Hircum in Aegypto Deorum numero adscriptum, pluribus in locis nostrorum Operum hieroglyphicorum exposuimus, vndè & Nomus Mendesius à cultu videlicet Hirci, nomen suum traxit; est enim Mendes idem in lingua Aegyptiaca, quod hircus in Latina, & αἴξ in Græca. μενδης

Hircino

Hircino itaque capite ſceptro impoſito, fœcunditatem, quam Oſiris Niloticus, ſiue Pan Mendeſiorum Aegyptiæ Telluri adferebat, notabant; quæ quàm ſuſiſſimè expoſita videat Lector in Obeliſco Pamphilio fol. 274. Alterum ſceptrum Loti flore inſignitum monſtrat ſympathicum Solaris Numinis cum Nilotico Oſiri correſponſum conſenſumque, eò quod Loti flos perpetuò ad Solem ſe conuertat, vti alibi expoſitum fuit; huiuſmodi itaque ſceptra, vti myſtica quadam ratione adornata fuerunt, itaque quoque & in ſacrificijs ab Hieromyſtis portari ſolebant, vt ob naturalem quandam congruentiam, quam cum Genijs Hircus, & flos Loti habent, tùm fœcunditatem Nili per Hircum; tùm vbertatem rerum per Loti florem indicatam, eos attractu quondam prouocare ſe poſſe crederent.



T

VI. Traham & ſceptra ſequuntur T. quatuor ſacra vaſa ſub phialarum forma in vnam coniuncta seriem, & ſuprà Cruce ſignata; quarum ſignificatio hac eſt. Solebant Hieromyſtæ inter cœtera ſacrificiorum vtenſilia, Vaſa quædam adinſtar quatuor philialarum coniunctarum concinnare, quod Aegyptiacè ἐκπαρηστήριον, id eſt, emunctorium Oſiridis, ſiue Oſiris ἀπορροίαν, ſeu effluxum vocabant; replebantur autem hæc vaſa ſacri fluminis lymphà, eaque myſtica quadam ratione ita adornabantur, vt nihil ad Oſiris attractum potentius fieri aut fingi poſſe ſibi perſuaderent, erant Cruce ſignata, quà in quadripartitas Mundi plagas Oſiridis notabatur aporrhea, per hæc enim Oſiris Niloticus in omnem ſeſe Mundi partem per benefici humoris canales, per vaſa illa ventrioſa exonerare credebatur, quæ vti Niloticæ aquæ ſacræ replebantur affluxu, ita quoque continuo aquæ effluxu inter ſacrificia per duos canales ✠ V. exonerabatur. Vt hoc pacto quadripartito humidæ naturæ fluxui horum Vaſorum fluxus analogus κατὰ τὴν ἀναλογίαν, vndequaque correſponderet & quamuis hìc compactæ in vnum phialæ in alijs ſchematis ferè ſemper vna tantum aut 2. pro ratione ſignificationis ſpectantur, hic tamen 4. ponuntur, qui vti paulò poſt dicetur, 4. calido-humidæ Naturæ Genijs præſidibus exhibebantur; vndè & iuxta 4. anni ſtationes exponebantur in 2. ſolſtitijs & æquinoctijs; Forſan quoque eo vaſa hæc conſtruebantur artificio, vt vno ijs loco chronometrij ſeruirent. Vide quæ de huiuſmodi ingenioſis Aegyptiorum machinis in Secundo Tomo Oedipi, Syntagm: de Mechanica Aegyptiorum vbertim tradidimus. Videntur hæc Vaſa in multis alijs hieroglyphicis inſcriptionibus, præcipuè in illo fragmento Obeliſci, quod è regione Eccleſiæ S. Ignatij in angulo domus pharmacopæi inſertum ſpectatur; vide Lector quæ de illo ſymboliſmo Tertio Tomo Oedipi ſyntag. de canopis tradidimus. Sed & ſpectatur quoque bis ſub forma melius expreſſa in limbo ſuperiori & laterali Tabulæ Bembinæ, vti vides in



in præſenti figura num. 23. ex citatæ Tabulæ loco extracta; vbi vides Aram in qua duo vaſa ponuntur, intra quæ humor ex dicta Epariſtirij phiala ſua Cruce ſignata, vtrinque ſe exonerat; quàm circumſtant, 21. 22. Cynocephalus, vas in manu ſiniſtra, deindè Horus 22. vas in manu dextra tenens ſupplicare videntur ſupremo Numini, cui ſubſtant; ex altera parte 23. Ara ſtipatur flore Loti, e capreolis vitigineis, vnde & fons vitigineus Hecates dicitur, vt poſtea exponetur; quæ ſequitur 24. ἱερακο-λεοντοσφόγξ id eſt ſub Leonis forma facie verò accipitrina, in cuius capite circulus Lunæ-ſolaris cum flamma emergente conſpicitur; per quæ hierogrammata, omnia quæ huc uſque de Epariſterio dicta ſunt pulchre & concinnè abſtruſiſſimis ſymbolis indigitantur: ſumma ſignificationis hæc eſt. Sol ſupramundanus ſeu Hemphta, vt vocant, influit in aquæ & igneæ ſubſtantiæ æconomiam, & fontanes patres, qui ei præſunt; vnde reſultat fons vitigineus, cuius deriuatione omnia quæ in Mundo ſunt, aluntur & conſeruantur. Quæ vt intelligantur, ſciendum eſt, ſi ignis, & calor in Mundo tantummodo forent, totum Mundum ardore & ſiccitate perditum iri; contra ſi ſola humiditas dominaretur, Mundum humiditatis exuberantia neceſſariò deſtructum iri. Sapienti itaque conſilio à ſuprema mente (quæ per globum alatum ſerpentiferum ſignatur) conſtitutum fuit, vt calidum humido aptè attemperaretur, atque adeo Mundus huius miſcellæ temperie conſeruaretur. Sed iam ſingula explicemus. Globus triformis influxum ſupremi Numinis exhibet; triforme Numen dicitur, eo quod ſupremam diuinitatem, per globum indicatam in ſe contineat; ſecundò ſpiritus ſit vniuerſalis per alas, queis ſumma velocitate omnia penetrat, ſignatus; & denique vitam rebus omnibus per ſerpentem notatam tribuat, & primo quidem influit in Solem & Lunam, ſeu quod idem eſt in intelligentiam ☼ & ☽, cuius ſymbolum eſt 24 ſphynx ἱερακόμορφος, ſeu accipitriformis, cuius circulus Lunæ-ſolaris in capite index eſt cum flamma ſeu aſpide, quæ promiſcue huiuſmodi ſchematis imponi ſolent; medio circuli incluſa: quà Solis & Lunæ, ſiue calidi & humidi ad Mundum vitalibus influxibus animandum, vnita vis ſub miniſterio Momphtæ intelligitur, quæ maximè Sole in Leonem ingrediente in Aegypto viget; quæ deinde in terram deriuata vlterius actuanda committitur Canopo Momphtæ miniſtro, quem ſphynx pedibus tenens ſupremo Numini veluti offert; cuius officium eſt ſpiritus igneos aquæ ſubſtantiæ commixtos per vniuerſas mundanæ domus, quæ per 22 Horum ſupplicantem, & ad recipiendum ſemper paratum indicatur, canales & crateres, deriuare. Genio Lunari, quem cercopithecus 21 exprimit, cooperante. Vnde 24 ſphynx accipitrina, cercopitheco 21 opponitur,

quia

quia illud notat, colore suo igneo principium actiuum rerum, hoc verò humiditate sua passiuum. Vnde cunctorum, quæ in inferiori Mundo spectantur, genesis, ortum suum habet. Fons itaque siue eparisterij phiala Cruce signata notat beneficia, quæ iam per expositos Genios Mundo & 4 elementis per 4. Mundi partes diffusis, communicantur. Quæ in oraculis Zoroastris, pæne ad oculum demonstrantur: sic enim ait Zoroaster de vitigineo fonte loquens: *Fons fontium, & fontium cunctorum matrix, continens omnia, vnde affatim exilit generatio multifaria materiæ; inde tractus praster subtilis, ignis flos, mundorum indens cauitatibus omnia, namque inde, cum incipit deorsum tendere radios admirandos*; Et deinde ipsas intelligentias describens paulò ante expositas dicit: *Est enim quoddam intelligibile (id est Numen supremum) quod te oportet intelligere mentis flore (id est per abstractum & purificatum intellectum). Est & roboris circumquaque lucida potentia mentalibus fulgens sectionibus (quas nota A exprimit) induta igne, ignem vinculorum, vt temperet fontanos crateres, & amore impleat omnia, examinibus feruntur similes, prorumpunt per Mundi corpora.* Habes hic Lector paucis pro vastitate materiæ eparisterij sine fontis Hecatini mysteria exposita, qui plura desiderat, is adeat nostram Sphyngen mystagogam, vbi Tom. II. Oed. fol. 335. omnia penitus euoluta raperiet.


Sequitur hoc ἐσπαῤυστήριον Niloticum, litera V. signata figura, quam imperfectam, vti multa alia Hieroglyptæ reliquerunt; nil tamen aliud est, quam funis mystica quadam ratione in figuram præsentem contortus, quò Typhoniam vim Osiri aduersam impediri, & ne noceret, quodammodo ligari putabant; quemadmodum in Obelisco Pamphilio exposuimus: fiebatque ex papyro & iunco Nili fructibus; & ne quicquam mysteriorum abesset, in eparysterij præcedentis quatuor Vasorum figuram contortus fuit. Nam vt rectè Pierius: Aegyptij vt omnia mystica quadam ratione sibi constarent, non animalia tantùm, sed & adeò instrumenta ipsa, quæ in vsum sacrorum adhibebantur, in hieroglyphicorum album receperunt; Sunt ea varij generis: quædam in ornamenta capitis symbolica cedebant sacrorum simulacrorum, vti tutuli, struppi, cidares, tiaræ, è varijs materijs confectæ; nonnulla manibus inserebantur Deorum, vti baculi, sceptra, tauticus character, sistra, aliaque innumera, quæ pro diuersitate Numinum, è diuersa quoque materia fiebant; de quibus vide hierohrammatismum vegetabilium de sceptris & thyrso in Obelisco Pamph. Erant prætereà variæ ararum sediumque formæ, quibus insidentia Numina veluti potestate suprema prædita, rerum potiri videbantur. Quorum quidem omnium rationes mysticæ Libro V. & in Tabulæ Bembinæ interpretatione, vbi summa cum varietate exhibentur, explicatæ sunt, vt proindè superuacaneum esse ratus sim, hoc loco peculiares de ijsdem hierogrammatismos attexere.

Quænā sint symbola Kyriologica?

Denique Kyriologica hieroglyphica ea dicuntur, quæ ipsis rebus appro-

appropriata ſunt ; Ita Solem & Lunam expreſſuri circulum, aut circuli ſegmentum pingebant ; Si portam, portæ figuram ; Si catenam, catenam ; Si craterem, craterem ; Si ſeptum Apidis, ſeptum ; Si ſacrum feretrum, feretrum ; Si ſacram barram, barram ; ſi traham ſacram, traham ; idem de innumeris alijs quæ paſſim tum in Obeliſco Pamphil. tùm alijs in Obeliſcis occurrunt, figuris iudicandum eſt ; Neque tamen ſibi quiſpiam perſuadeat, eos ſimiles res ſine myſterijs adhibuiſſe, cum enim ſummo ingenio pollerent, ſingulas etiam minimas & viliſſimas res adeò myſterioſa effigiatione exhibebant, vt ignarus rerum ſignificationem quidem rei, nudumque corticem perciperet, nucleum tamen, ſiue myſticas rationes nequaquam peruideret. Etſi enim Solem per circulum exhiberent, ſub circuli tamen proprietatibus varijs, varias Solaris Numinis excellentias & prærogatiuas, Solis myſtis notas, vnà exhibebant. Hoc pacto eas portas, per quas in adyta ſacra aditus patebat, non nuda tantùm figura contenti, ſed eas architectura myſterijs plena, efformabant. Idem de catena, pheretro, barra, cratere, traha receptaculo ſacræ lymphæ ſentiendum. De quibus omnibus, vt dixi, in citatis locis copiosè diſceptatum vide.

Omnia Aegyptiorum inſtrumenta myſthica ratione conficiebantur.



Sequuntur tandem Segmentum Horizontis ſuperni, cum Cruce circulo incluſa, quibus ſupponuntur duæ pennæ, cum Hieralpha. Tau anſatum. Piramis. vrna Nilotica funiculis appenſa, Serpens cum ſegmento & ſceptris. Quæ quid ſignificent, exponamus. pennæ, queis nihil in Obeliſcis ſeſe prodit frequentius, ſignificantur occultæ operationes ſupremæ mentis ; vndè conditorem omnium Deum denotantes, penna eum in capite poſita exprimebant. Per pennam quidem in capite aſſurgentem ſignificabant, difficilem inuentu eſſe naturam eius, & nemini conſpicuam, ſed ſublimem non modò ſupra ſenſum, verum etiam ſupra humanæ intelligentiæ captum ; humana verò forma eundem vitæ Authorem & Motorem, qui intellectu aliquo modo comprehendi poſſit, circulo indicabant : quoniam vt hominis corpus quidem cernitur, mens verò ipſa, quæ hominem à cæteris animantibus disiungit, cerni à nullo poteſt ; ſic etiam Dei ſummi Opificis actiones & motus, qui effectus in ſacris literis poſteriora vocatur (non ſecùs ac Ariſtoteles effectus poſteriora, cauſas verò priora nominat) & ab humano intellectu cerni poſſunt ; Mens verò ipſa & Diuina natura creatarum rerum moderatrix in huius corporis carcere abſolutè cognoſci non poteſt. Quod pulchrè apud ſecretiores Hebræorum Theologos innuitur per quinquaginta portas lucis, quas omnes præter vnam Moyſen ingreſſum aiunt, vti in

Pennæ figura quid notet?

Dei effectus cerni, natura minimè non poteſt.

Deus cærulea veſte indutus cur pingatur?

per initiales literas Ἀγαθὸς Δαίμων exprimitur, Aegyptiacè Hieralpha; Vndè verò suam originem sumpserit, explico; Res ita sese habet.

Ferunt prisci Aegyptiarum rerum Scriptores, inferiorem Aegypti partem mari olim tectam fuisse; Osirim autem primum Aegypti Regem, cùm ex ingenti limi, arenarumque ex Aethiopia aduectarum coaceruatione Nili defluxu facta, hunc maris sinum, nescio quid terrestre parturire cerneret, Nili aquis in alueos deductis, terram intermediam ab aquis separatam, habitatoribus non aptam tantùm, sed & iucundam reddidisse; ingenti verò serpentem è putrefacto limo natorum copia locum continuò infestum reddente, cum multi quotidiè serpentum morsibus, inter quos & Osiridis Nauarchus Canopus, perirent; Osirim magnam vim Ibidum hisce locis immisisse, qui deuoratis serpentibus locum breui tempore expurgatum à periculis immunem reddiderunt. Multiplicatis itaque Ibidibus, cum posteri notarent dictas aues in varias sese formas iuxta diuersum corporis situm transformare; accedentibus multis alijs ab Ibide receptis beneficijs, eum Genium seu Agathodæmona Aegyptij à figura, quam pedibus exprimebat, appellantes, in sacrum animalium album retulerunt, locumque ipsum à nomine Agathodæmona appellarunt; quod

Ibium in serpentes immissio.

Ibis cur Agathodæmon dictus?



Ptolomæus hisce verbis docet: Δέλτα μέγιστον ἐκεῖνο καλεῖται καθ' ὃ ἐκτρέπεταί τι ὁ μέγας ποταμὸς λεγόμενος Ἀγαθὸς Δαίμων. *Delta magnum vocatur id, iuxta quod diuertitur fluuius dictus Agathodæmon.* Ibis igitur diuaricatis cruribus & rostro ijs transuersim inserto, exprimit primam Alphabeti Aegyptiaci literam, hoc pacto A, quod idem sonat, ac Ἀγαθὸς Δαίμων. Ita Plutarch. Sympos. 5. Ἶβίς τι ποιεῖ τῇ τῶν ποδῶν διαστάσει πρὸς ἀλλήλους καὶ πρὸς τὸ ῥύγχος ἰσόπλευρον τρίγωνον. *Ibis*, inquit, *pedum diuaricatione eorum inter se, & cum rostro comparatione, triangulum refert aquilaterum.* Et lib. 9. Sympos. quæst. 3. Ἑρμῆς λέγεται θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν, διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον ἶβιν γράφουσι, ὡς ἑρμῇ (Ἀγαθοδαίμονι) προσήκουσαν: *Mercurius primus Deorum in Aegypto traditur inuenisse literas, atque adeò Ibin Aegyptij primam literam faciunt Mercurio, videlicet Agathodæmoni conuenientem.* Habemus, quomodò Alpha, primam literam Aegyptiorum ex Isibis situ didicerint Aegyptij, nunc quomodò, Δ, ex Ibide natum sit, accipe.

Prima Aegyptiorum litera ex Ibi desumpta.

Tertia litera fuit desumpta ex diuaricatione pedum Ibidis, omissa rostri insertione: Sic enim eum plano terræ exactè Δέλτα exprimebat, vt proindè locum hunc Aegyptij mari vicinum non alio nomine, quam Delta insigniuerint, & posteri hanc appellationem vsque ad nostra tempora retinuerint; putabant enim Aegyptij Mercurium sub Ibidis forma, varias literarum formas humano generi tradidisse, ac inter cætera per formam Δ, quomodò Nilus diuidendus sit, vt tellus illa aquis paludibusque

Δ Litera quid significet.

H 2

busque submersa fructifera redderetur & hominum habitationi apta, docuisse; Vndè forsan à ⲁⲗⲗⲟⲧⲓ quod Copticè nihil aliud, quàm bonum agrum significare reperio, nomen huic literæ ⲁⲗⲁⲁ fuerit impositum. Certè Delta ab Ibi sumptum, Pausanias apud Pierium lib. 17. docet his verbis: *Est & alia ratio, cur Ægyptum hieroglyphicè significarint Ibes, nempè quod Regio Delton à Δ. Græca lingua figura nuncupata, eam cum Ibibus similitudinem habeat, quod alites hæ literam Δ eo incessu pedum intistitio ad æquales trianguli lineas deducto, signare videntur, idemque rostrum patefactum signat.* Et libro 47. de septem literis: *Mercurium*, inquit, *qui primus literas Aegyptijs communicauit, Ibim primam literam esse voluisse; refert siquidem ex incessu triangularem effigiem, cruribus ita dispositis, vt suo loco dictum est, & quæ prima apud nos & Græcos litera est, ad Isosceleis trianguli speciem accommodatur.*

Sequitur ♀ character, Crucis ansatæ, nullibi non obuius, tum in Obeliscis, tum in manibus statuarum Osiridis & Isidis, potentissimum, efficacissimumque amuletum, seu periapton, quod cum in præcedentibus iam sæpè exposuerimus, hic ei immorari noluimus; qui plura desiderabit, is videat Obelisc. Pamphil. à folio 264. vsque ad fol. 379. Quid verò pyramis sibi velit, litera B signata, expono.

Quid Aegyptij per pyramides indicent? Pyramidis symbolo animam humanam igneæ naturæ esse, insinuare (vtpotè quæ corpori non secus ac basi, seu ignis somento adhæreat, voluisse videntur) dum magnifica Regum atque Heroum sepulchra sub ingentibus pyramidibus construxerunt, vt testarentur, corpore soluto & corrupto, animam superesse, quæ, cum summo Opifici visum esset, hoc est, circulo illo Hermetico 36500. annorum circuitu, aliud corpus subintrans electura sibi esset, ea ferè ratione, quâ Pyramis, vt Geometris notum est, vertice immoto manente, circumducta basi, circulum describit, & toto corpore conum, vt circulus annorum illud curriculum significet, conus verò corpus, quod curriculo illo conficitur. Nam Aegyptiorum fuit illa opinio, de rebus ad eundem statum 36500. annorum spacio restituendis, & ab illis se accepisse testatur Plato, cùm in Timæo ait: *Sic factam fuisse à Deo animam, vnam accepisse illum ex Vniuerso portionem, quæ procul dubiò vnita puncto illi, quod in pyramidis vertice est, significatur. Secundam autem primæ partis duplam; Tertiam secundæ sesquialteram & primæ triplam; Quartam secundæ duplam; Quintam tertiæ triplam; Sextam primæ octuplam, postremò septimam quæ partibus viginti sex primam excederet. Post hæc dupla & tripla interualla repleuisse.* Quibus numeris certè nihil aliud significat, nisi expansionem illam linearum, quæ à puncto ad basin tractæ angulos efficiunt, & per interualla ipsas superficies, quæ lineis clauduntur. Ex quo apparet, illum hæc quoque ab Aegyptijs accepisse. Hinc Aegyptij veluti illud summæ energiæ periaptum gestabant, tum ad auertendos malorum occursus, tum ad propitiandum supremum Numen, vt soluto corpore per metempsycho-


Annus magnus Hermeticus quid?

Animæ compositio ex Platone.

pſychoſeos varias reuolutiones tandem inter Heroas & ſecundeos deſideratum locum conſequerentur. De quibus vide in Aſtrologia noſtra Hieroglyphica affatim tractatum.

Sequitur deindè vas Niloticum portatile, ob Nili reuerentiam & venerationem vſitatiſſimum, & loco amuleti, chorda, cui annexum eſt, portatum fuiſſe, ſat demonſtrat.

Sequitur deindè huiuſmodi amuleta ſerpens cum ſegmento & duobus ſceptris, quibus omnibus innuebant, per religioſam horum ſymbolorum geſtationem Numina, ad vitam quadripartito Mundo, & ad abundantiam rerum neceſſariarum concedendam, attractum iri.



Fuerunt autem variæ horum amuletorum claſſes: nonnulla ſimplicem ſacrorum animalium Deorumque formam referebant; quædam miſtæ ſeu compoſitæ naturæ rationem exhibebant; non deſunt, quæ inſecta, vti Scarabæum exhibeant; quorum iterum ingens eſt varietas. Fuerunt & humani corporis partes in vſum amuletorum aſſumptæ, imò inſtrumenta omnis generis in ſacrorum vſum adhibita, adeò quidem, vt nihil ſit in omnibus ferè Obeliſcis ita minutum, quod non in amuletorum vſum ceſſerit, adeòque clarè mihi innotuerit, ſacram hieroglyphicorum literaturam nihil aliud, quàm Amuletariæ artis Syntagma quoddam ſumma diligentia, nec minori ingenij induſtria diſpoſitum indicaſſe, ex quibus veluti prototypis quibuſdam Amuleta, ſeu magnæ virtutis hierogrammatiſmi, in peculiarem priuatumque vſum decerperentur. Sed hæc fusè in Arte noſtra hieroglyphica, ſuo tempore. Variæ amuletorum claſſes.

Atque hæc eſt primæ Obeliſci Columnæ Borealis expoſitio, cuius Lectionem idealem tunc apponemus, vbi cætera Obeliſci latera pari pacto expoſuerimus.



CAPVT VI.

Lateris ſecundi, Obeliſci Interpretatio.

DIximus primas quatuor figuras in omnibus Obeliſci lateribus eaſdem eſſe, quare vnam, vti in præcedenti latere præſtitimus, explicaſſe ſufficiat. In ſecundo itaque latere Orientali, B. Accipiter inſidet crateri ſacro, qui & crater


Sacer crater Osiridis quid? crater Osiridis dicitur, de quo fusè in explicatione Obelisci Flaminij, vbi sæpèsæpius crater ille cum accipitre ei insidente conspicitur, erat autem vnum ex Vasis Niloticis conchæ similitudinem habens, quem sacrificiorum tempore, aqua Nilotica repletum sacro Isidis velo cooperiebant, eoque humidum Naturæ, cui dominabatur Osiris siue Solare Numen, vnicum ad generationem rerum promouendam subsidium significabatur; festum quoque huius rei causa 10. mensis Choiac instituebatur, quod ita describit Plut. de Os. & Isi. *Decima nona mensis Choiac noctu ad mare descenditur, & sacram cistam stolistæ vna cum Sacerdotibus efferunt, in qua est intus aurea arcula (intelligens crateris sacri concham) tum funditur ab ijs aqua portabilis, ac clamor extollitur ab his, qui adsunt vociferantibus, Osirin esse inuentum, exinde Tellurem frugiferam aqua permiscent additisque mixturæ aromatibus & suffimentis sumptuosis, effingunt imaginem luniformem, & hanc amiciunt & ornant, significantes deos eorum ab ipsis putari naturam esse Terræ & Aquæ*; hic enim calore suo viuifico excitans humidum in vapores resolutum, ex cratere superno stillicidium per sacrum canalem, in vegetabilis Regni fauissas transfundit: quæ pulchrè sanè signantur per canalem F, per florem Loti G, & per duo sceptra H, queis in humidum superius & inferius duplex innuitur Osiris dominium; Sed, vt hæc ita sese habere ostendatur, hìc ea, quæ ex varijs Authoribus in Obelisci Lateranensis expositione collegimus, adducenda duxi; Sic itaque fol. 199. III. Tomi Oedipi ex Trismegisti libro, qui crater dicitur, legitur: *Est in Sidereo Mundo crater Osiridis beneficus, cuius defluxus benignos quicunque in inferiorem piscinam deriuare norit, is Momphta vtrumque, & cælestem, & terrenum attrahet, & per Pantamorpham naturam rerum necessariarum abundantia replebitur*. Hic crater exprimitur per figuram immediatè sub accipitre è regione Z positam, radiorumque diffusione veluti stillicidijs quibusdam profusis conspicuam, quam liberalem crateris Cœlestis diffusionem manus extensa notat; infra quam figura piscinæ cum tribus quadrangulis est, quæ notant receptum in inferiori Mundo, iuxta tripartiti anni conditionem, crateris effluxum; nam huius stellicidio crateris quicunque participes fuerit, is sibi Momphta vtrumque, per duo Leonina capita, cœlestem & terrenum, tum crateris superioris, tum inferioris piscinæ custodem propitium habebit, & Mundi vitam ad rerum abundantiam concedendam attrahet: quæ per Papilionem & thyrsum papyraceum indicantur, vt iam sæpiùs dictum est. Sed mysterium paulò luculentius exponamus.

Hic crater Cœlestis cui Osiris sub accipitris forma insidet, tutulo conspicuus & globo serpente fœto dorso incumbente, quæ quid notent in præcedentibus dictum fuit: & nihil aliud est, quam Siderei Mundi receptaculum, omnigena influxuum varietate refertum, qui continua in inferioris Mundi receptacula, seu cisternas sacras (piscinas seu fauissas

vocant



vocant veteres Hieromantæ) beneuola Osiridis manu inflexuque distribuuntur in omnia Mundi membra. Quia tamen nihil tam salubre est, nihil tam benignum, cui Typhoniæ potestates non aliquid malignum & perniciosum inferant, quo benigna ab Osiri communicati crateris munera corrumpuntur; ideò contra eas Momphta, id est, Nilotici incrementi, atque adeò totius humidæ substantiæ Præses sacrificijs placandus est, & Anima Mundi ad copiam rerum expulso Typhone suppeditandam, attrahenda. Vides, quàm hæc aptè nostris symbolis respondeant, sed iam ad Anseris symbolum progrediamur. Quid enim Sacer Anser aliud notat, quàm vigilantem sacrarum fauissarum præsidem, cuius cura & vigilantia Typhoniæ machinæ à sacris canalibus fauissisque, id est, ab aquarum Regno auertantur; est enim figu-




L

ra L M. Κυριολογικὸν symbolon lineis suis fluxum aquæ exprimens, vndè & nos illud ὑδροχῆμα hy- *Anser quid notet?*

M drosChema appellamus, eoque nil in Obeliscis, cæterisque in Aegyptiacis monumentis frequentius est. Nam vt rectè Abenephi, Aqueum elementum expressuri, id per simplicem aquæ fluxum significabant, sic ≈; Vndè & nota illa, quâ Astronomi Aquarium denotant ≈, profluxisse videtur. Sed vt ad Anserem sacrum reuertamur, vocabant hunc ab Aegyptiaca voce XHNOC, siue XHN, quæ Anserem significat, Chenosirin, quasi diceres, Osirim Anserinum; sub huius enim volucris vigilis forma sese abdere solitum fuisse, ad rebus fidei suæ commissis meliùs inuigilandum credebant. De quibus vide quam vberrimè tractatum iu Obeliscorum interpretatione. Ex huius enim vigilantia Agathodæmonis Vita rerum supernâ & infernâ, per serpentes indicata concedebatur.

Sequitur modò sacra Tabula S. T. quod vti sacris, & congruis Solaris Numinis insignitum est symbolis, ita quoque contra omnes malignarum potestatum impetus efficacissimum prophylacticum esse sibi perdebant. Sed singula in eo posita symbola examinemus.



S

Primò sese offert circulus seu globus, quod

T suprà semper vel sacrum, vel diuinum, aut cœleste quid significare diximus. Sequitur deindè coronis septem cuspidibus insignita, quam ipsi septem

prin-

principalium Geniorum arcem dicebant, nos heptapyrgon appellandum censuimus. Sequitur deindè Scarabæus, præcedente circulo, quo cœleste Solare Numen, siue Agathodæmonem per hieralpha & hydroschema notabant; hoc quoq; schematismo non solùm triplicis Mundi, Archetypi, Siderei & Elementaris nexus, sed & sub iisdem symbolis, politici Mundi status, & artis benè feliciterque gubernandi ratio indicatur. Sacra Tabula cultum Diuinum indicat, ouata figura Mundi rationem, quàm Archetypus principis intellectus in omnibus imitari debet; quod enim diuinus in omnibus Intellectus, id in Politico Mundo intellectus principis, & quod in Mundo sidereo septem planetarum tutelaria Numina præstant, id in Politico statu Princeps per septem diuersæ conditionis, id est ex ordine sacerdotum assumptos selectosque viros præstare debet, & sunt Cantores, Horoscopi, sacri Scribæ, stolistæ, Prophetæ: Ex plebeo ordine, Milites, Agricolæ, Artifices, quorum officia singula descripta consule in Tomo primo fol. 115. de politica Aegyptiorum; His enim vniuersa Regni moles substinebatur. Per Scarabæum Rex mascula virtute, & summa fortitudine & prudentia præditus, Horo teste, innuebatur; cuius directioni tota politici status moles veluti præfixis quibusdam legum limitibus innitebatur, id est, sacra Tabula veluti prototypon quoddam Regibus & Sacerdotibus, quibus cura Regni commissa erat, proponebatur, vt quomodò iuxta Diuini & supramundani Numinis ideas, queis triplicem Mundum, Genialem, sidereum, elementarem eique inclusum politicum gubernat, politicus status administrandus esset, addiscerent: Hinc modos & rationes in separatis tabellis, quæ varijs symbolorum inuolucris adornabantur, ipsis solis Hieromystis cognitas depromebant: Vti verò Mundum ouum dicebant, tum figura, tum effectibus ouo prorsùs analogum, ita quoque intra ipsum ea symbola, quæ genijs Mundi rutelaribus apprimè conuenirent, imponebant; Hinc primò per globum, Intellectum supremum; per zonam heptapyrgam, siue septem cuspidibus instructam, septem supremos corporei Mundi præsides, quos Astronomi septem planetarum genios dicunt, indigitabant; vtpotè quorum præsidio omnia efficiantur, conseruenturque. Ad horum itaque imitationem, veluti archetypon quoddam Aegyptij politicum suum statum instituebant; dum fieri non posse sibi persuadebant, vt quod adeò firmo & incommutabili fulcimento niteretur, id non subsistat, vtpotè Deorum immortalium operationibus adeò conforme. Vidimus itaque circuli & zonæ heptapyrgæ mysterium, iam quid globus cum Scarabæo, quod hieralpha, quid hydroschema notent exponamus.

Tabulæ sacræ symbola quid significent.

Rex per Scarabæum expressus.

Heptapyrgion quid?

Mundus politicus iuxta archetypas rationes in Mundo intellectuali existentes administrari debet, vt cõseruetur.

Per Scarabæum, vti suprà diximus, Rex mascula virtute præditus, Horo teste, innuitur, quo docebatur, Reges ad Solis siderei, qui per Scarabæum significantur, operationes animum reflectere, & iuxta eas Regnum politicum administrare debere, ac septem potissimùm sibi leges politicas, quæ per septem muri, seu zonæ cuspides, quas Astrologi arces,

arces, Arabes بزوج id eſt, turres vocant, ad benè feliciterque gubernandum, cum primis obſeruandas, noſſent; quas leges in præcedentibus iam adduximus; Has enim ſi cùm exquiſita cura & diligentia excoluerint, tunc rerum omnium in elementari Mundo, qui per ☐ exprimitur, neceſſariarum vbertatem iuncta cum ſumma rerum varietate, quæ per papilionem δρακοντόμορφον, id eſt, Draconis forma exhibitum, obtinebunt, Typhone rerum omnium inauſpicatarum authore, qui per noctuam indicatur, profligato, vita Mundis concedetur, Agathodæmon ſupremi Numinis Hemphta per *A* & duas pennas accipitrinas indicatus, attrahetur per ſequentia ſacra amuleta; pyramidem ſacram, Tau myſticum, cum vaſe Nilotico portatili, in quibus vis & vita inerat, vti ipſi perperam ſibi imaginabantur, ad inferiorem Mundum transfuſa.

Habes itaque hic ſecundæ columnæ Interpretationem. Iam verò, quoniam ſuprà diximus, alterna in hoc Obeliſco latera ferè eadem eſſe, non magnoperè nobis in cæteris laborandum eſt; cum Boreale & Meridionale paucis exceptis, vti paulò poſt dicemus explicaſſe ſufficiat. dixi alterna latera ferè eadem, quia non prorſus eadem ſunt, in omnibus ſiquidem nonnulla ſymbolorum differentia conſpicitur; cuius rei cauſam, ne quicquam curioſum Lectorem lateat, breuiter exponam.

Per oppoſita latera Boreale & Meridionale notabant Solis ex Borea in Auſtrum motum annuum; per Orientale & Occidentale latera motum Solis diurnum; ex quibus motibus naſcitur magna illa Crucis Tauticæ varietas, quæ Obeliſcis inſerta ſpectatur, quaternarum Mundi partium ſymbolum, in quas ſe Mundi ſpiritus, id eſt, Sol diffundere ſolet, tum annuo, tum diurno temporis ſpatio; ex hiſce enim motibus, quicquid in omnibus Mundi partibus ſenſibus obijcitur, vitam ſuam & incrementum acquirit; Quemadmodum verò alios effectus Mundi ſpiritus in Boreali Hemiſphærio, alios in Meridionali cauſat; alios in ortu, alios in occaſu, ita quoque ad huiuſmodi effectuum differentiam ſignificandam, ſignis non iiſdem, ſed nonnullis diuerſis ſymbolis oppoſita latera exornarunt, vt vnum ſymbolum cum altero comparanti patebit. *Latera Obeliſci quid notarent & differentes Mundi in partes reſpicerent.*

Hinc patet, cur ſuprema Obeliſci ſymbola, ſacras Tabulas, & vaſa, amuletariam ſupellectilem, eandem ſemper in omnibus lateribus poſuerint; quia illa vniuerſale bonum concernebant, per potentiſſima Mundorum Numina indicata; qui verò ad particulares Mundi plagas pertinebant effectus, hoſce differentibus ſigni cum particularibus Genijs expreſſerunt. In hoc itaque latere reſtat explicandus hierogrammatiſmus. in quo primò vides duo ſceptra caninis capitibus inſignita, intra quæ Crux Tautica funiculo alligata, & vtrinque duæ portæ χυρσολογικῶς effictæ; per duo canina ſceptra ſubtili ratiocinio indicant acceſſum & receſſum Solis à tropico ad tropicum; ſiue 2. Solſtitia æſtiuum & boreale; quorum cuſtodem faciunt Anubin ſeu Mercurium κυνόμορφον. Nam vt rectè Clem. Alexandrinus: *Alij*, inquit, *per duos canes duos tropicos* *Lib. 5. ſtrom.*

I *inſi-*

insinuare voluerunt, qui sunt quidam veluti canes obseruantes custodientesque à Natura deputati, prohibentes Solis ad Austrum Boreamque vlteriorem elongationem. Tropicos verò 2. portas, quas in hierogrammatismo



sceptris appositas vides, appellabant, eo quod per eas ascensus descensusque animarum allegoricè denotaretur; quæ omnia vberrimè in astrologia nostra hieroglyphica prosecuti sumus, quam Lector consulat.: in medio hierogrammatismi Crux ansata ponitur, quæ, vti à Thoth Aegyptio Mercurio nomen Thautici characteris obtinuit, ita quoque per eam potenter Mercurium, portarum cælestium custodem alliei putabant. Singula itaque symbola Mercurium respiciunt, notantque Solis à tropico ad tropicum vltra citraque comeantis cursum, Ascensus & descensus animarum. Quid? mysticè verò descendentium per portam Caneri, per portam verò Capricorni ascendentium animarum ducem & directorem; quid verò per hanc animarum descensum ascensumque intelligatur, in Theologia hieroglyphica expositum fuit. Cuius Syntagma 10. in Tom. 2. par. 2. Oedipi consule.

Cum itaque ex duobus Solstitijs,totius anni ratio ab Aegyptijs obseruaretur; ex priori videlicet proximè instans tempus innundationis Nili, ex altro consequens agrorum ex vegetabilium germinatione fœcunditas;hinc non fine causa in Aegypto, inter cætera Mercurij propitiatoria symbola, & hunc vnum miræ, vt ipsi putant, efficaciæ hierogrammarismum esse voluerunt: quem & in alijs Obeliscis sæpe obuium reperies.

Hierogrammatismus Papilionis & Noctuæ.

Cernitur in sequenti latere Obelisci, post eparisterium papilio ille Dracontomorphus de quo supra locuti sumus, intra quadratum inclusus; quo indicatur spiritus Mundi intra 4. elementorum centrum con-

Papilio quid clusus; quo operante omnia vitali spiritu complentur, ac in varias rerum species transmutantur; hinc enim diuersitas, & summa varietas in hylæo Mundo, iuxta triplicem Naturæ gradum nascitur. Sequitur hoc □ immediatè Noctua; quæ vti inauspicati mali symbolum est: ita quoque Hieromystæ, ne Agathodæmoni polymorpho per papilionem expresso, audaciorem se opponeret Typhon, & vita rerum per serpentem infra quadrum positum expressa impediretur, cum per sequentia iam supra exposita auerruncatiua symbola amuletoria coercendum statuerunt.

Quænam sit propria significatio Noctuæ.

Noctua; Noctua varias habet significationes pro symbolorum ei iunctorum diuer-

diuersitate Græci eam pro symbolo haberent Mineruæ; & hieroglyphicè notat sapientiam silentio comparandam. Aegyptij verò cum infra globum alatum serpentiferum, aut Osirin accipitri-formem ponatur, supremi Numinis nuncium interpretabantur, qui ab eo ad mortales veluti quosdam dirorum euentuum annunciator destinabatur dirum mortalibus omen; Vbique tamen Typhonis symbolum habetur ab Aegyptijs; cuius significationis ratio hinc originem suam sumpsit. Ferunt Hecatæo teste, Typhonis asseclas singulos sibi eorum animalium, quæ cum sacris animantibus ingenij & naturæ dotibus dissiderent, formas assumere solitos sub ijs dira mortalibus portendisse, eosque varijs modis monuisse, Typhonem verò inter alia animalia Noctuæ formam induisse; ita Hecatæus. *Typhon transformatus in noctuam, dira portendebat.*

Atque hæc sunt hieroglyphica symbola, quæ in Obelisco hoc nostro passim occurrunt; horum itaque peracta interpretatione; iam specimen quoque subiungemus aliquod Idealis Lectionis, dico idealis Lectionis, quod non more nobis consueto legerentur; sed erant veluti conceptus quidam abstracti à materia, quæ vti ad naturæ exemplar, & ad idealium in mente diuinæ existentium rationem, normamque erant constituti, ita quoque sacerdotes eas contemplantes, vel solo intuitu sine vlteriori discursu, quid significarent, cognoscebant; quod vel ipso Aristotele teste fuit inuentum laude dignum, vti ex testimonio eius in principio libri Lector videre potest. Nam vt rectè Iamblicus supra citatus: *In mysticis sculpturis, relinque verba, accipe sensus*, vt verò Lector, modum quo hæc ad verbum quoque reduci possunt, hic lectionem totius Obelisci verbotenus apponam; ne quid sit, quod curiosi Lectores in hac nostra Interpretatione desiderare queant: verum cum in singulis lateribus eadem fere occurrant; in vnico latere specimen dedisse sufficiat.

Sequitur specimen Lectionis idealis.

OBELISCI AEGYPTIACI

SECTIO III.

SAPIENTIA AEGYPTIORVM

Qua ſapientum veterum in hieroglyphica philoſophandi methodo ratio & intentio medullitùs enucleatur.

CAPVT I.

De origine & propagatione hieroglyphicæ doctrinæ.

QVID ſit in quo conſiſtat Aegyptiorum illa non à ſacris tantum, ſed & profanis Scriptoribus celebrata ſapientia hieroglyphicis notis expreſſa, antequam vlterius progrediamur, hoc loco, quoad potero paucis exponam; ſic itaque res ſeſe habet. Poſtquam Hermes ille Triſmegiſtus, Rex Termaximus hieroglyphicæ diſciplinæ Author & inſtitutor à ſe electos, ingenio pollentes, & ad Regium ſolium aptos, quos & Sacerdotes à ſacris dici voluit, à ſe inuentâ myſteriorum diuinorum vulgo occultandorum arte imbuiſſet, rationemque, ea in Obeliſcis ad nunquam interituram, memoriam inſculpendi docuiſſet. Inuentum hoc inſolens, nouum, myſterijſque reconditiſſimis confertum, primò ad poſteros propagatum eſt; Poſteri tam admirabili doctrina inſtimulati, eam nullo non tempore veluti patrimonium quoddam, optimamque hæreditatem acceptam mirificè promouerunt. Factumque eſt, vt quicunque inſigni huiuſmodi adeò ſublimium rerum notitia potirentur, omnibus admirationi eſſent, atque ab Hermete, Hermetes, ſacerdotes, & prophetæ dicerentur, diuinitati proximi; & ne diuinum inuentum à prædeceſſoribus traditum plebææ fæcis hominibus innoteſceret, iureiurando ſeſe obſtrinxere, præter ſacerdotalis ordinis, ingenio ſingulari præditos, & ad regnum deſtinatos Viros, nemini alteri communicari debere; Hoc enim pacto & diſciplinas Theoſophicas, ipſoſque ſacerdotes earum peritos, in maiori apud omnes pretio & æſtimatione futuros confidebant. Hinc Hieromyſtæ ſummo ſtudio traditæ doctrinæ incumbentes eam non tantum propagarunt, ſed & ipſi fundamento iam poſito ſuperſtruentes, alia & alia ſymbola myſtica ad Hermeticam amuſſim adaptata excogitarunt, atque myſterioſis Obeliſcorum pyramidibus, prout Hermes conſtituerat, inſculpſerunt; vſque ad Putipharem ſacerdotem Heliopoleos (quæ erat principalis à Solis cultu etiamtum in

Ortus & propagatio diſciplinæ hieroglyphicæ.

in Aegypto florente sic dicta) cuius filia in matrimonium cessit Iosepho. Hic teste R. Eliezer fuit vnus ex Hieromystis, seu sacerdotibus Aegypti, qui in Heliopoli sedem suam fixerat, philosophiæ hieroglyphicæ apprimè instructus, Nam vti rectè Eliezer in hunc locum commentans.

R. Eliezer in hunc locum genesis cummutans.

והוא הכם גדול ובעל ספרים מקדם העבדת השמש

Ipse, inquit, *sapientia clarus*, *&* *præses literarum priscarum*, *&* *cultus Solis*. Fuit autem Heliopolis propriè sedes sacerdotum, vnica hieroglyphicæ sapientiæ palæstra, verum vti fieri solet, dum successores vanæ gloriæ cupidiores, quam par esset, forent, euanescentes in cogitationibus suis, symbola, quæ ab Hermete de diuinis mysterijs, prout à primis post diluuium patriarchis Noëmi filijs, quibus synchronus erat, didicerat, quæque de abditis Naturæ arcanis tradiderat Naturæ, in multos differentes sensus, atque adeo in apertissimam superstitionem deduxerunt. Vnde mox prodigiosa illa Deorum mythologia, brutorum cultus, ridiculæ sacrificiorum cerimoniæ, quæ ab Hermete ad diuinitatis mysteria cognoscenda institutæ fuerant, ex quibus vel male intellectis, vel malignè detortis, tanquam ex Equo quodam Troiano egressæ totum paulatim Orientem impleuerunt, infeceruntque. Accessit turpe sacerdotum lucrum, quod à populo obtinebant, cui omne aliud, quam quod symbolis istis præfiguratum erat persuadebant, callida arte plebem dementantes. Hinc cærimoniarum cultus prorsus ridiculus, hinc planctus & lamenta de Osiri à Typhone trucidato, cæteraque de Isi, Horo Serapide, Harpocrate, fabulæ, insinuantibus se occultè dæmonibus, vnde & Magia diabolica, oraculorum impietas, simulacrorum idolorumque seruitus prodierunt; contigitque vt Aegyptus paulatim publicum fieret superstitionis damnatarumque artium theatrum. Atque hinc primò quidam prodigijs famosa illa Zabiorum, veriùs, Sabæorum secta, quæ originem suam habuit ex quodam è stirpe Chus fratre Mesræ, qui in Chaldæam, vbi tum Nembrod, Chusi filius & Ninus longe latèque dominabantur magnos progressus fecit. Hinc ignis ☼ & ☽ & 7. errantium stellarum cultus, hinc astrologiæ stellarumque vanitates; quæ omnia fusè prosequitur Rambam in doctore perplexorum, & nos eum secuti hanc Sabæorum sectam in 1. p. Oedipi prosecuti sumus, ad quem Lectorem remittimus. Quæ adeo vera sunt, vt vel ipsæ sacræ literæ huiusmodi superstitiones deplorent, & ne Hebræi ijs contaminarentur, non alia de causa præcepta illa in Leuitico & Deuteronomio à Mose de animalibus & cærimonijs, nisi ad Aegyptiorum consuetudines & impietates vitandas posita esse velint melioris notæ Rabbini. Bouis enim aliorumque animalium cultum ante Mosen extitisse apertè sacer textus docet. vti ex 8. cap. Exodi patet, vbi dum Pharaoni immolationes & sacrificium in Aegypto fieri suadenti, nulla id ratione fieri posse respondit his verbis:

Ecce

חן נזבח את תועבת מצרים לעיניהם ולא יסקלונו

Ecce si abominationes Aegyptiorum sacrificemus in oculis eorum, an non lapidabimur? vel vt ad rem nostram appositè Onkelos Paraphrastes Chaldæus in suo Thargum.

הא נדבח ית בעירא דמצראי דחלון ליה ואינון יחון חזן הלא ימרון למרגמנא Chaldæus paraphrastes

Ecce si immolauerimus animal brutum, quod ipsi colunt ipsis videntibus non lapidibus nos obruent? consonat huic aliquantò expressiùs Syra translatio; in qua apertè huiusmodi Bruta, quæ ipsi colunt, dij vocantur.

ܐܢ ܕܒܚܢܢ ܕܚܠܬܐ ܕܡܨܪܝܐ ܠܥܝܢܝܗܘܢ ܪܓܡܝܢ ܠܢ Textus Syrus.

Si enim sacrificauerimus Deos Aegypti, an non in oculis eorum lapidabunt nos, Idolorum quoque facit mentionem Lectio Samaritana.

ࠄࠍ ࠍࠃࠁࠇ ࠁࠐࠋࠇࠉ ࠌࠑࠓࠉࠌ ࠋࠏࠉࠍࠉࠄࠌ ࠉࠓࠂࠌࠍࠍ Textus Samaritanus.

Si sacrificauerimus idolis Aegypti, an non in oculis eorum lapidabunt nos.

Hanc eandem ob causam Aegyptij omnes pastores abominantur, vt dicitur 46. c. 11. vlt. genes. cum enim bruta Deorum habitacula assererent, non tantum fas non erat illa occidere, aut immolare, sed & occisores eorum morte, teste Eusebio Pamphilo, puniebant; mortua verò luctu planctuque maximo complorabant. Quem cultum cærimoniasque impias, vt destrueret Moses, non id aliter quem contrarijs legibus & cærimonijs præstandum censuit. Hinc Arietes, Vitulos, Hircos, quos Aegyptij stolida insania colebant, Hebræi morti in sacrificia destinabant, quæ omnia scitè doctor perplexorum Rambam par. 3. cap. 46. describit. Quæ hoc loco proponenda duxi; vt Lector intelligeret, Brutorum cultum, & consequenter sacras disciplinas (ex quibus male intellectis, malesana illa secta originem duxit) multo iam ante Mosen viguisse; etsi hieroglyphicæ ferantur à sapientibus eo semper in precio fuisse & veneratione, vt vel ipsum Mosen ijs instructum sacræ litteræ Act. 7. his verbis testentur: *Erat autem Moses eruditus in omni sapientia Aegyptiorum.* Quæ Philo in Vita Mosis aliquantùm fusius explicat: *Cum enim felicitate ingenij Magistrorum, ex vniuersa Aegypto conuocatorum doctrinam excederet, & simul multa ingeniosè excogitaret; Numeros quidem*, inquit Philo, *& geometriam, Musicam Rhythmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam accepit ab Aegyptys doctoribus; maximè verò occultam philosophiam descriptam, vt vocant, literis hieroglyphicis, hoc est notis animalium, quæ ipsi venerantur pro Numinibus*, hæc Philo. Iustinus Philosophus & Martyr in suo Protreptico: *Mosen*, inquit, *omisso studio omnium Mathematicarum, quæ in Aegypto vulgares erant, & viles, adiecisse animum ad solas hieroglyphicas disciplinas, quæ tùm apud eos solæ in honore & pretio erant,*

Moses contrarias leges Ægyptijs constituit.

erat, & non quibuslibet, sed præcipuis & probatissimis Viris, & in abditis locis secretò traderentur. Has cum didicisset Moses; nil tamen vnquam secundum eas, aut dixit, aut fecit; quod contrarium esset vnius veri Dei cultui; neque credendum est, Mosen potentem opere & sermone ex vi Aegyptiacæ sapientiæ miracula operatum, sed ex sola veri Dei virtute miranda opera patrasse. Clemens verò Alex. l. 5. strom. *Moysen*, inquit, *iuxta hanc hieroglyphicæ doctrinæ consuetudinem multa sub tropicu, ac mysticis animalium symbolis, vitæ moralis præcepta occultè tradidisse, solis diuinæ legis amatoribus peruia; qualia sunt illa, neque porco, neque Aquila, accipitre, aut corno vescendum;* ita Clemens. Atque hæc ad hieroglyphicarum literarum antiquitatem stabiliendam præmittenda duxi.

Hermes itaque ille ter maximus, hieroglyphicæ doctrinæ, vti diximus, Author, cum multa & pleraque de Deo diuinisque eius perfectionibus, tum in creatione Mundi, eiusque conseruatione elucescentibus: de administratione Mundi singulorumque eius partium, quam tùm per se, tùm ministerio Angelorum gubernat, à primis Patriarchis audisset; seriò ijs altius penetrandis adiecit animum; vnde nouam orditus philosophiam, in qua, vti de rebus sublimitate altioribus, quam vt eas Idiotæ attingere possent, sub noua arte, quam posteri hieroglyphicam dixerunt, tecta & à rudibus intellectibus abscondita, non cedris, sed saxis omnium durissimis mystica & ipsa figura efformatis, ad æternam posterorum memoriam, tanquam scientiam altissimam rerumque æterna veneratione dignissimarum omnibus commendatam, insculpsit; quæ vti ad æterni opificis exemplar in administrando Mundo erat constituta, ita quoque non nisi à se prælectis Hieromystis, Sacerdotibus, Stolistis, & Hierogrammatæis, hominibus præstantis ingenij, & quibus ad regni gubernationem sapienter, iuxta præscriptas in Obeliscis rationes administrandam, habilitas inerat & aptitudo, communicauit, eosque de eorum reuelatione ad silentium iureiurando adegit. Hoc pacto sacerdotes, cum viderent ab omnibus in admiratione, ob excellentium rerum sub nouis huiusmodi symbolis latentium notitiam se haberi, & quasi semideos à plebe ea de causa honorari; vt venerationi huic augmentum adderent; multa populo de apparitione Deorum, responsisque eorum, & quomodo ad eos placandos propitiandosque, coli deberent, enarrabant; accessit lucrum ingens, quod inde adquirebant per varias machinas, vti pollentes erant ingenio & mechanicarum artium Mathematumque peritissimi, ac in deorum statuis oculos moueri, nutibusque, vel complacentiam displicentiamue exprimi curabant; Vnde miserandum in modum decepta plebs, dementataque, quicquid habebat ad Numinum fauorem obtinendum, vel ad mala auertenda contribuebat. Hinc factum est, vt successu temporis religio sub sincero sensu à Trismegisto concepta, paulatim in apertam & conclamatam idololatriam abierit; diuina attributa ab indiuidua vnione discerpta, quot vnius Dei, per sua attributa,

Intentio Trismegisti in disciplina hieroglyphica.

Religio Trismegisti abit in superstitionem.

buta,

buta, effectus in Mundo cognoscerent; tot Deos, siue Genios diuinitatis consortes fabricarentur; tot inquam, Numina, quot ipsis occurrerent rerum naturalium species. Hinc subitò stolidus ille brutorum plantarumque cultus; inauditis fabulis superstitionibusque societus, velati ex fonte promanauit, quæ vel ipse Trismegistus in suo Asclepio præuidens, de ijs hisce verbis vaticinatus est; *ò Aegypte, Aegypte, religionum tuarum sola supererunt fabulæ, eaque incredibiles posteris tuis.* Vndè accidit quoque, vt pleraque mysteria, quæ tunc animis hominum insederant, silentio, vti Herodotus, Diodorus, Heliodorus, Pausanias, & Apuleius referunt, inuoluerit. Mystis namque peculiaris indicta fuit taciturnitas, quam si quis soluisset, improbus detestabilisque censeretur, quæ consuetudo quoque ad Græcos paulatim Romanosque deuoluta adeò seueris legibus adstricta fuit, vt qui Tutelaris Romani nomen reuelaret, nefas committeret nonnisi morte piandum. Huius silentij Aegyptiaci eam causam fuisse putem, quod hæc vel turpia, vel crudelia essent, cuiusmodi Eleusina in Græcia, Pessinuntia, Isiaca, Ithyphallia, & Mythriaca in Aegypto fuerunt; quæ verbis seueritate rigorosa plenis exagitare consueuerunt indefessi Christianæ religionis defensores, Iustinus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, Lactantius, alijque à quibus si placet, Lector petat, si tenebras illas cum magno fructu pietatis, & eruditionis discutere libet. Cum itaque in hoc libro Oedipi functurus officio, Obelisci hieroglyphici interpretandi onus susceperimus; vt ratio symbolorum singulorum, rectè sibi constet; & quidnam ijs, & quomodo operati sint, aperiatur; hoc loco explicationi iam peractæ, diatriben, quà, quid Trismegistus eiusque posteri veteres per sapientiam intellexerint, & quænam eius in eorundem dispositione modus & ratio fuerit apponendam duxi; vt Lector institutum hieroglyphicum, omnibus seculis celeberrimam, concipere queat & vna hieroglyphicorum rationem, quæ cultum diuinum semper implicitum tenuit, luculentius intueri posset, ea tamen cautela & circumspectione, ne tenerioribus mentibus sim offendiculo, quin potiùs, vt quisque sibi ad cautelam ea legat, & à Satanicis machinamentis sibi cauere sciat, cum magna huiusmodi magicæ superstitionis portio, in hunc vsque diem adhuc in maleferiatorum, & pseudophilosophorum animis radices fixas habeat. Ad rem igitur.

Silentij Aegyptiaci causa.

Nota ad Lectorem.

K CA-

CAPVT II.

Cur Aegyptij arcana Theoſophiæ ſacramenta adeò obſcuris ſymbolorum inuolucris expreſſerint?

CVM ſymbolum nil aliud ſit, quàm nota arcanioris alicuius Myſterij ſignificatiua, id eſt, Natura ſymboli eſt, conducere animum noſtrum mediante certa aliqua ſimilitudine ad intelligentiam alicuius rei, multùm à rebus, quæ ſenſibus offeruntur, differentibus, cuius proprium eſt, eſſe celatum & abſconditum ſub velo obſcuri dicti. Vndè Συμβολικὴ θεολογία, ſiue πλεϛικὴ, ſeu μυθικὴ; & vti prior docet ſenſus ſcripturæ reconditos, & myſteria exponit; ita altera apud Poëtas locum inuenit; cuiuſmodi quoque ſunt τὰ σύμβολα πυθαγορικὰ, & apud Plat. 8. Symp. & apud Cælium Rhodigin. lib. 10. ant. lect. cap. 9. quo ſymbolica ſimulacrorum additamenta enarrantur. Et iuxta Demetrium Phalaræum in ſymbolis aduerti debet, & attendi, quod ſub ijs maximè ſubſtantia, vis, energia, ac multiplex ſenſus, cum inſigni aliqua granitate, breuitateque comprehenduntur. Antiqui porrò dupliciter vtebantur ſymbolis, teſte Giraldo, lib. de Symbol. Alia verbis quibuſdam explicabantur, alia non; quibus vtriſque Aegyptij, præcipuè ad Religionis ac Theoſophicæ diſciplinæ myſteria explicanda vtebantur; indignum eſſe iudicantes, ac tantorum myſteriorum inconueniens maieſtati, ſi ea à quolibet plebæo intelligerentur. Vndè ſacerdotes eorum diuina myſteria ſub cooperta aliqua nota, & vmbroſa allegoricæ figuræ apparentia indicabant, quâ diſciplina etiam nonniſi ſacerdotes, ſoli ſapientes ac philoſophi erudiebantur. Quos inter Græcos, præcipuè æmulari conatus eſt Pythagoras, aſſiduus Aegyptiacæ ſapientiæ alumnus; qui ſententiarum ac documentorum, quæ dare volebat, ſub obſcuris verborum meandris, ac metaphorici ſermonis inuolucris ita cooperiebat, vt ſolis ſapientibus, quod vellet, inſinuaret, plebæis autem Philoſophis de conceptis myſterijs, ne quidem ſuſpicionem relinquere videretur. Vndè Plutarchus lib. de Oſiride, & Iſide, ſic loquens, dicit: *Pythagoras autem maximè, vt apparet, in admiratione habitus, admiratuſque ſacerdotes iſtos, imitatus eſt rationem eorum per ambages proponendi, ſuaſque ſententias inuolucris texit; vndè & omnes ij, qui vel nouas inſtituere religiones, aut vrbes, legeſque condiderunt, hoc obſcuro & anigmatico dicendi genere vſi ſunt.* Oſtendunt etiam Doctores orthodoxi ſacram Scripturam in pleriſque nil aliud eſſe, quàm continuatum quoddam ſymbolum rerum & myſteriorum altiſſimorum, quæ ſolis Doctoribus, & diù multùmque in lege exercitatis noſſe conuenit; Imò ipſam æter-

Theologia myſtica.

Symbolorũ duplex ratio.

Sacerdotes myſteria per ſymbola abſcondunt.

Pythagoras Ægyptios imitatus omnia per ſymbola docet.

Sacra Scriptura in pleriſque nil aliud, quàm myſtica rerum doctrina.

æternam ſapientiam Chriſtum Seruatorem noſtrum hoc parabolico dicendi genere vſum, teſtantur ea, quæ apud Euangeliſtas haud infrequenter leguntur. Neſcit enim abſcondita Dei ſubſtantia nudo ſermone in profanam & coinquinatam intrare aurem; Vndè non incongruè dicit, quantumuis impius Iulianus Apoſtata: *Amat Natura Diuina clarè celata & abſcondita.* Iulius Firmicus ad Mauortium Lollianum in vltima ſui voluminis parte, huic adſtipulatus ait: *Celari & abſcondi pluribus tegumentis Natura Diuinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis eſſet acceſſus, neue cunctis patefacta maieſtatis ſuæ origo panderetur.* Quæ duobus integris libris 5. & 6. ſtrom. fuſiùs proſequitur Clemens: Atque indè eſt, quod Pythagorici doctrinam, quam illorum Magiſter didicerat in Aegypto, ac poſt eos Platonici in monumentis ſuis vſi ſunt ænigmatis & ſimbolis, exiſtimantes, quod nuda & aperta expoſitio Deo & Naturæ eſſet inimica, vt benè notat Marſilius in ſua Theologia Platonica, ac proindè perſuadebant ſibi, & firmiter credebant, quod Deus ſeſe ab hominum vulgarium & profanorum ſenſibus ſubduceret, intelligentiam verò & cognitionem ſub variarum rerum abſconditis ſimilitudinibus & parabolis; gratum è contrà acceptumque ei eſſet, ab hominibus veræ ſapientiæ ſtudioſis arcana ſua myſteria per viam ſecreti inueſtigare; ac proindè veluti ſub via quadam ſubterranea, ſancta Doctrinæ ſuæ ſacramenta cooperientes procederent; atque ideò ſolis hominibus prudentibus, quibus interpretis loco eſſet ſapientia, ad veri ſecreti penetrare poſſent cognitionem. Vndè & cum Hebræis Pytagorici maximè conueniunt, dum myſteria legis maximè celare iubent. Omnes itaque Orientales in conſuetudine habuiſſe videntur, vt ſua myſteria ſummo ſtudio ab imperita plebe abſconderent; Vndè Ephrem Syrus frequentiſſimè in hymnis de amore ſapientiæ id quoque fieri præcepit. Dionyſius etiam Areopagita cap. 2. Cœleſt. Hierarch. dicit: *Quod nullus negare poſſit, obſcuras rerum ſimilitudines, plus alijs rebus animum noſtrum eleuare, ac proindè à rudioribus, vtpotè ijs periculoſas abſcondi debere.* Hinc videmus, omnem fermè Pythagoricam & Platonicam philoſophiam eſſe notis verborum & tegumentis rerum plenam, huncque tradendi morem, vt antè diximus, ab Hebræis & Aegyptijs, ipſe citatus Pythagoras & Plato ad Græcos primi tranſtuliſſe creduntur. Solebant enim Aegyptij, vt mox dicemus, fictis quibuſdam inter ſacerdotes literis, ſacra communicare, vt eſſent plebi ſecreta, quo & diutiùs admirationi forent, & attentiùs caperentur. Vndè illi Coloſſi, ſtatuæ, aræ, arcus, & æra publicè inciſa literis Aegyptiorum ſacris promittebant quidem ſpectanda vniuerſis, ſed non niſi à myſtis & initiatis hieroglyphicis intelligebantur, vt de ijs Chæremon, Orus, Aegyptiorumque permulti ſcripſere. Sic Pythagoras viri ſapientis non putabat eſſe: *Aſino lyram exponere, aut myſteria eo pacto recipere, vt ſus tubam, & fides graculus, & vnguenta Scarabæus.* Quarè ſilentium indixit diſcipulis, nè vulgo Diuinorum arcana patefacerent, quæ

Iulianus Apoſtata.

Sacra myſteria abſcondi debent non omnibus propalari.

Ephrem Syrus. Dionyſius Areop.

Aegyptiorũ cura in abſcondendis myſterijs.

Silentium Pythagoricum in quo conſiſteret.

meditando faciliùs, quàm loquendo apprehenderentur. Vndè tribus voluminibus omnes, Laertio teste, philosophiæ partes physico, pædeutico, & politico complexus, moriens filiæ testamento mandasse fertur, nè illa extra familiam ederet, imò nullatenus publicaret; ipse verò tantùm dignis numeroque paucis, dum viueret, omnia quæ illis continebantur, maximè autem mathematica, viua voce, nullo vtens inuolucro, planè demonstrauit: cætera cæteris in parabolis. Ergò aliter loquens, aliter sentiens, etsi semper idem sapiens per quædam symbola, ceu memoracula doctrinam suam suis impertitus est, ita vt ad priscorum imitationem, aliud dictum, aliud referret intellectum. Eam ob causam animum quoque alatum definiuit; haud dubiè id ab Aegyptio Zoroastro edoctus; Zoroaster enim, quem Pythagoras secutus est, demonstrare volens ac docere, animam se aptam & capacem reddere posse ad volandum in Cœlum, vndè discesserat, id profundissima quadam innuit allegoria: *Anima, ait, alata est, & cadentibus alis eius illa præcipitanter ruit in corpus; alis autem restauratis mox ad locum, ex quo cecidit, reuolat in Cælum & ad Deum.* Petentibus autem ab eo discipulis, qui discursum Magistri attentis animis auscultabant, quid agendum esset, vt anima eorum benè plumata, & fortissimis alis instructa eò volando perueniens, perseueret semper tam optato alarum remigio vestita? Respondit, animam aqua vitæ irrigandam. Instantibus autem discipulis, vndè eam habere possent, subiunxit: *Paradisus Dei quatuor fluminibus irriguus nobis hanc aquam præbebit.* Nomen enim fluminis, qui versus Aquilonem tendit, significat rectum & iustum; qui verò versus occasum, pœnitentiam & purgationem; qui versus Orientem, lumen; & qui denique versus plagam meridionalem currit, pietatem demonstrat; quo allegorico dicendi genere insinuabat, animam destitutam alis virtutis, mox in omnium vitiorum abyssum cadere, ac præcipitari; iniectam verò in voluptatum carnalium sensibiliumque rerum barathron, totam reddi corpoream, terrestrem & ponderosam; è contrà verò alis reassumptis vestitam se leuando supra se, vltra Solis Lunæque vias, atque super omnem corruptibilium rerum orbitam, eius, cuius circumferentia nusquam, centro counitam, diuinitatemque postliminio consecutam, totam reddit leuem, celerem, cœlestem ac diuinam. Fluuij verò, quorum irrigatione alæ animæ nostræ crescunt, sunt Fides per lumen; charitas Dei & proximi per pietatem; iustitia per rectum; pœnitentia denique & emendatio scelerum præteritorum, per expiationem insinuata. Totum itaque Christianè docet hoc Zoroaster, quod & proprium eius symbolum fuisse affirmant Chaldæi; Atque hoc symbolum S. Augustinus in explicat: psalmi 138. Si sumpsero pennas meas &c. ad charitatem Dei & proximi in quibus tota lex pendet & Prophetæ, alludens ait: *Quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis?* Sed adhuc multò clariùs alio in loco prædictum symbolum exponens, ait, animam habere

Allegoria de alis animæ.

Explicatio moralis de fluminibus Paradisi.

alas

alas, & monstrans, quæ sint veræ alæ eius, cum expositione psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*: dicit, quod per ventos in hoc loco significantur pennæ, quibus anima elevatur in altum, quæ nihil aliud sunt, quàm virtutes, bona opera, iustæ denique ac rectæ rationi conformes actiones; In duabus alis, habent animæ omnes pennas suas: quia omnia præcepta legum in duo veluti restringuntur, charitate Dei, & proximi, queis fulta anima, quasi cum liberis alis, & cum sancto amore directè ad Deum volat. Imò S. Gregorius Nissenus in exposit. super Cantica, vbi vulgata lectio habet: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*; illa explicat hac ratione; auerte oculos tuos à me, nam ipsi alas mihi addiderunt, quasi illud, quod est ad propositum nostrum, supradictum symbolum insinuare voluerit; imò in pluribus locis sacræ Scripturæ mentionem alarum Dei fieri videmus, potissimùm in psalm. 16. & 35. *Sub vmbra alarum tuarum, & sub tegmine alarum tuarum sperabunt*. Cum igitur, teste S. Gregor. sacra Scriptura à Spiritu Sancto dictata Deo μεταφορικῶς alas affingat, conueniens erat, vt animæ ad imaginem & similitudinem Dei conditæ, alæ quoque adderentur, vt sic imago imaginato, similitudo assimilato exemplarique suo per omnia pulchrius scitiusque responderet.

Expositio animæ pennata.

CAPVT III.

Quomodo primæui sapientes Aegypti ex sensibilibus paulatim sub occulta quadam analogia quatuor Archetypos Mundos philosophando attigerint.

QVADRVPLICEM Mundum Aegyptios statuisse, varijs passim locis huius operis docuimus, videlicet Archetypum, Intellectualem, Sidereum, & Elementarem, quibus tota rerum vniuersitas continebatur. Archetypus Mundus, Diuinus, infinitus, immutabilis, æternus, incorporeus dicebatur; intellectus Diuinus triformis, vti dicebant, Numinis, omnes inferiores reliquos Mundos in se sub vnitate naturæ simplici & essentiali continens, vtpotè ex quo tanquam vena rerum omnium creatrice, quicquid est, fuit, aut erit, procedit, è cuius immensæ bonitatis Oceano cuncta profluunt, cuncta existunt, cuncta animantur, cuncta conseruantur, in cuius intellectu omnes Mundi, tam intellectuales, quàm sensibiles, sub idealibus, & archetypicis rationibus ita vniti existunt, vt nihil in rerum natura sit, aut esse possit, quod non ibidem tanquam effectus in sua causa lateat. quæ quidem omnia symbolis materialibus, vario figurarum contextu

Mūdus quadruplex Aegyptiorum.

coagmen-

coagmentatis, abditiſque ſimilitudinum catenis in hac doctrina hieroglyphica exhibentur; quam emanationum congeriem primò pantamorpha natura Mundi, ſeu fundum paternum ex tribus triadibus conſtitutum ante omnia participauit, quæ quidem nil aliud ſunt. quam diuinarum virtutum ſpecula., quæ in intelligibili archetypo eluceſcunt, idealiumque notionum ſignacula, quibus, poſt Deum, mentes inſigniuntur, vt ad diuini exemplaris normam operentur, & pulchrè in Obeliſco Lateran. & Menſa Iſiaca exprimuntur. Ab his duodecim Mundi Rectores conſtituti, omnes influxus participant, & in archetypo nil aliud ſunt, quàm Diuinarum intellectionum ideæ, à bonitate & pulchritudine infinita emanantes, iuxta quas inferiora adminiſtrant. Sequuntur fontani Patres, portarum magnarum vniuerſi Conſeruatores, qui omnes iuxta ideas in mente paterna exiſtentes influuntur, influxumque Mundi plagis communicant, & in Limbo dictæ Tabulæ continentur ideæ in mente Diuina exiſtentes, quæ omnia Mundorum particularia reſpiciunt, vt dictum eſt. His autem omnibus nil aliud indicant, niſi concatenationes entium à ſupremo vſque ad infimam materiam. Quomodò autem per occulta ſymbola id demonſtretur, videamus.



Vniuerſum itaque quantumcunque eſt, tot tamque diuerſis rerum in eo exiſtentium ordinibus diſtinctum, ſubſiſtere non poterat, niſi nexu quodam harmonico, quo grauia acutis, infima ſupernis, medijſque mira quadam proportione vnirentur, vt in hac ſchemate patet, quo ſeriem ordinemque totius vniuerſi exprimebant. Intra tabellam hanc vocem ΦVΛO hieroglyphicam inſeruerunt, quæ amorem vti ſignificat, ita quoque omnia, quæ in Mundo ſpectantur nonniſi amore, concordia, mutuoque quodam conſenſu ligari, & in vnum connecti & adaptari innuebant.

Verum vt Lectori pateſiat, quam nulla res apud Aegyptios caruerit myſterio, & quanta ſub minimis etiam ſimilitudinum Vmbris arcana abdiderint; myſticam dictorum characterum ſignificationem hoc loco exponendam exiſtimaui: Conſtat itaque vox ΦVΛO quatuor literis, quarum prima ſpheram Φ exprimit, & Mundum notat: altera pyramidis inuerſæ, Tertia rectæ, Quarta globi figuram exprimit: quibus omnibus tot ac tanta myſteria indicantur, vt ijs ſingulis explicandis, non dicam hæc pagina, ſed nec volumen quidem magnum ſufficiat. Quare aliqua earum, adeoque generalia tantùm hoc loco attingam, vt de alijs Lector iudicium faciat: ac primo quidem character Φ ex circulo & linea compoſitus, quid ſignificet paulò ante indicauimus, & de eo c. 7. tractatum eſt. Videlicet, rerum ex centro per lineas rectas in circulorum

rum

rum peripherias diffusarum primordia, reliquis verò tribus literis VAO apertissimè sanè, & elegantissimè amoris in hoc Mundo vim signet, dum à centro ad circumferentiam, & ab hac ad centrum reciprocum motùs processum exprimunt: Amor enim, qui est appetitus boni non tantum versus inferiora demittit radios, quo cuncta viuificet; verùm & virtute naturali, seu magica naturarum cognatione sursum attrahit, & in amplexus mutuos plena conuersione compellit: sic enim progressus, vel descensus à Deo, seu vt Platonicè loquar, anima Mundi per Mundi res vniuersas vsque admateriem diffunditur, quem processum descensumque aptè pyramidalis littera A refert. Et hinc per naturam denuò reditus ad naturæ præsidem, videlicet monadem illam indiuiduam, quæ per pyramidis mundanæ apicem indicatur. Similiter ascensus ad remotissimas Cœlorum peripherias per intermedia Mundi spacia à centro Vniuersi non absurdè per radiosam, seu inuersæ pyramidis literam V indicatur; hic enim amoris ascensus, quid aliud significat, nisi Magicam illam amoris superiora inferioribus connectentem catenam in reciproca singularum partium conspiratione defixam? Vndè non malè amorem summus Philosophus Areopagita ita definit. *Vt quidam sit circulus à bono in bonum perpetuo reuolutus.* Nam cum à suo incipit, & allicit, perfectæ pulchritudinis rationem præfert; cum autèm in Mundum transit, amor potissimum dicitur. Voluptas denique, prout in Authorem remeans, pulchro exemplari, pulchram imaginem, pulchra reuolutione conuertit. Imò hoc circuitu per omnia penetrans sursum eadem secum, deorsumque volui continuò facit; non secus ac solis simplex radius per se vniformis in Cœlo lucem, splendorem in æthere, in Elementis lumen, in mixtis corporibus colorem lucidum creat. Patet itaque quod amatorius ordo, sit causa conuersionis in rebus omnibus ad diuinam pulchritudinem, & formam principem, atque (vt verbis Procli vtar) reducat sequentia ad illam omnia, eique coniungens, & coniuncta confirmans; & mox inde sequentia replens, diuini luminis dotes inde scaturientes per vniuersa distribuat. Quod quidem Aegyptijs aliud non fuit, quàm anima Mundi, rerum omnium in Mundo causa, & origo; quam aptissimè sanè expresserunt in hoc hieroglyphico schemate, alati globi serpentibus hinc inde prosilientibus circumsepti mundano systemati suprapos ita figura. Atque globus, quidem nihil aliud, quamorbem vniuersi designat, vt in præcedentibus probatum est. Alis, teste Macrobio, Martiano, & Apuleio vis subtilis & celer omnia penetrans in Mundo, denotabatur; vt vel hinc Alatam animam Aegyptios tradidisse mirum non sit, cùm plerique Platonici, è Zoroastris doctrina Aegyptiorumque id passim doceant. Serpentem verò fœcundi spiritus symbolum esse Porphyrius apud Eusebium lib. 3. cap. 3. Euangelicæ præparat. abunde docet; adeoque clarè à Virgilio ostenditur,

Quid amor?

Amor causa rerum.



vt

vt ad hoc ſymbolum animæ Mundi omnia penetrantis viuificantiſque vnicè reſpexiſſe videatur, dum canit.

Principio Cœlum ac Terras, campoſque liquentes
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totumque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Meminit huius hieroglyphici egregius Abenephi, Arabs, lib. de Veterum Aegyptiorum diſciplinis; ita autem dicit.

والدور مضنغ مجلق بحيات وهو علامه النفس وروح العالـــــــم

Globus, inquit, *alatus*, *ſerpentibus*, *circumdatus dum pingebatur*, *ſymbolum erat animæ.ſeu ſpiritus Mundi*. Porrò quomodo amor animam Mundi ſollicitet per vim quandam Animæ Mundi propriam, rebuſque inſitam innatamque, qua ſuperiora mouet ad inferiorum prouidentiam; atque inferiora, vt verſus ſublimilia conuertantur; denique quì ad ſocialem inuicem ſui communionem vrgeat,aperiam: certè meo quidem iudicio, amorem rectiſſimè ſtatuas, vt deſiderium quoddam boni pulchrique, vel bonitatis per pulchritudinem ipſam conferendæ, vel accipiendæ, cuius poteſtas veluti vnius ſit magnitudinis dimanatio, cuius punctum vel apex ſit primus in Deo progreſſus per Mundum triplicem tripliciter diſtributum, finis autem in ipſa materia, cuius denique quædam ſit infinitudo circa verticem, potentiæ meræ infinitudo circa materiem, connexionis virtus infinita per omnes naturæ intermedios gradus. Quæ omnia pulchrè dictis characterum ſymbolis referuntur. Vbi vides Φ inferioris Mundi ſymbolum. V amoris à centro verſus ſuprema; Λ à Cœlo, quod circularis litera O exprimit, verſus inferiora proceſſus. Vnde nobiliſſimum illud monogramma vocis ΦVΛO Aegyptijs vſitatum, quod in Tabula Bembina haud infrequenter occurrit, reſultat, quo omnia, quæ hucuſque de anima Mundi, & amore rerum mundialium dicta ſunt, ſub forma ſphæræ mundanæ admirabili quædam ratione exprimuntur.

ΦVΛO vocis myſterium exponitur.


Qui quidem ſi pauca excipias non differt à charactere, qui paſſim in Bambina Tabula occurrit Mundi quadripartiti ſymbolum & forſan idem monogramma cum præcedente eſt, cum omnes literas vocis ΦVΛO contineat. Sed hæc in Geometria Aegyptiaca melius diſcuſſa vide. Nunc ad amorem redeamus, cuius prior effectus eſt vniuerſum. Amor enim, teſte Dionyſio: *Non permiſit Regem omnium ſine germine permanere. Idem propagandi ſtudium ab Authore primo in omnes eiuſdem imagines demanauit.* Per hunc enim intelligentiæ Cœlos mouent, & ſequentibus omnibus ſua munera largiuntur.

Per hunc ſidera ſuum lumen in elementa diffundunt, ignis aëri, aër vim ſuam communicat aquæ, aqua terræ: clementa ſimplicia mixtis quibuſque ſiue compoſitis rebus; plantæ & animalia ſpeciei ſuæ multiplicandæ deſiderio incitantur, iuxta illud Georg. 5.

Omne

Omne adeò genus in terris, hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt, amor omnibus idem.

Per eiusdem amoris impulsum obediunt vicissim inferiora supernis maximè, sic terra tractabilis aquæ, & hæc in aërem deindè resoluitur: aër in ignem, ac dein per poros insensibiles digesta in æthera, sublunaris substantiæ portiuncula firmioris paulatim concretionis, atque coaguli particeps, rapitur altiùs in Cœli occultas fibras, vbi quemadmodum in animantibus fieri solet, elaborata magis magisque apponitur; primum inde agglutinata assimilatur penitus, & in cœlestem indolem transmutatur. Quis igitur iam non videt, quàm appositè monogrammum illud vocis ΦVAO Vniuerso adaptetur? certè cùm hoc paulò profundiùs scrutarer, tunc illud Iamblichi verum esse cognoui, Characteres Aegyptiorum haud quaquam fortuitò, aut temerè; sed magno ingenio ad naturæ exemplar fabricatos esse. & in hoc vel maximè elucescit; in quo sub duabus pyramidibus contrario processu constitutis in charactere sphærico Φ, subito coluri, meridiani, tropici, & æquator, amoris Mundi Zodiacus, id est ☼ semita patet (in Sole enim maximè amor viget mundanus) tota denique amoris sphæra elucescit; vt vel hinc intelligeretur; Amorem per vniuersum diffusum omnibus in rebus esse. Cùm verò magna rerum in hoc Mundo sit diuersitas, necessarium est, eum ex contrarijs sæpe nasci, neque enim vlla pars Mundi alteram odit, nisi amore sui, vt pulchrè in explicatione conuiuij Marsilius docet; & rursum eùm contrariorum maximè affectricem causam, vnde illud Plautinum oppidò eleganter. Amor per omnia diffusus.



Diua Astartha hominum, Deorumque vis, vita, salus, rursum eademque est
Pernicies, Mors, interitus, mare, tellus, Cœlum, sidera
Iouis quæcunque templa colimus, eius ducuntur
Nutu, & obtemperant.

Hinc Orpheus in Agronauticis non sine causa: hunc amorem, vt Mundi Genium, & magum antiquissimum laudat. Cum enim Chaos ante Mundum posuerit, ante Saturnum Iouem, & cœteros Deos, Amorem sanè in sinu ipsius Chaos constituit, tanquam Chaoticæ euolutionis Animam. Eundemque definiuit, vt principium, quo res informis ornamentum, suamque perfectionem desiderat. Sed hæc fusiùs explicemus. Amor Magus.

Notum est ex Theologia Aegyptiorum, omnia quomodocunque bonum participantia, primùm præcedere bonum, quod quidem nihil aliud est, quam ipsum bonum illud, quod omnia appetunt; vltra quod, Bonum primum & imparticipatum Deus.

vti nullum aliud ens eſt, ità neque bonum; prima videlicet cauſa cauſarum; hæc verò cauſa ſine bonitate nec conſiſtere, nec concipi vlla ratione poteſt; cum bonum ſit diffuſiuum ſui, vndè rerum omnium productio, producere autem minimè poſſet, niſi in ſe contineret omnium tùm productorum, tum producendorum multitudinem, cum nemo, quod non habet, dare poſſit. Quæ omnia pulchrè per Heliotropia Loti, Acaciæ, Perſeæ flores & folia, quæ occulto quodam motu ad cœleſtia corpora feruntur & conuertuntur, quibus tota tabula, tum Bembina, tum Obeliſci referti ſunt, innuuntur. Hinc apertè patet, omnia eſſe in Deo, Deum in omnibus omnia, omnia idem in omnibus, & quodlibet in quolibet; Siquidem in Mundo Angelico, ſeu intellectuali eadem ſunt entia, quæ in Mundo ſenſibili, ſed ſpirituali & inuiſibili modo; In Archetypo Mundo Diuino ſupramundano, increato, infinito, incomprehenſibili, tum Angelicus, tum ſenſibilis vnum ſunt, & ſimul, modo diuino & perfectiſſimo. Infima ergo monſtrant ſuperna, corporalia declarant intellectualia & inuiſibilia, & per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur. Atque hæc cauſa fuit, cur Aegyptij ſenſibilibus inferioris Mundi ſimulacris, varia transformatione conſtitutis, vſi ſint: nam per inferiorum & terreſtrium naturas & proprietates Aegyptij aſcendebant in naturas & proprietates ſuperiorum & cœleſtium; ſunt enim hæc inferiora externa & viſibilia exemplaria, ſuperiorum notæ & inuiſibilium internorum ſymbola, quibus à corruptibilibus ad incorruptibilium entium virtutes traducebantur; nouerant enim totam creaturam, & hanc vaſtam Mundi machinam, in qua Creator omnium Deus inuiſibilis nobis ſe videndum, audiendum, guſtandum, odorandum & tangendum exhibet, nil aliud eſſe, quàm vibram Dei, & interni paradiſi figuram & ectypon; quod verò in archetypis omnia inuiſibili & ſpirituali modo, quæ in Mundo ſenſibili, corporeo induta amictu apparent, contineantur; ipſum naturæ lumen ijs probabat: Cum enim quadruplicem Mundum ſtatuerent, Archetypum, Intellectualem, Sidereum & Elementarem, vnumque in altero intuerentur, certè inferiores à ſuperioribus regi, viriumque ſuarum influxus ſuſcipere, non poterant non noſſe, ita vt ipſa Archetypa & Opifex omnium mens & cœlos, ſtellas, elementa, animantia, plantas, metalla, lapides, infinitæ potentiæ ſuæ virtutes exindè refundat, per Fundum primò, deindè per Deos vti aiebant ſecundos, id eſt, intelligentias, adeòque per continuum aſcenſum deſcenſumue, nunc ex Deo ad creaturas, ex intellectualibus ad externas formas, veluti à centro ad circumferentiam deuoluebantur; modò ex infimis rerum aſpectabilibus formis ad inuiſibiles formas, veluti ex circumferentia ad centrum ferebantur; adeòque vel in vno ſeminis grano totum vniuerſum intuebantur. Sicuti enim in vno inuiſibilis ſeminis grano arborem totam cum radice, trunco, ramis, folijs, floribus, fructibus complicatam intuebantur, ita in intellectu naturam omnium inferiorum rerum formas & ſemina modo

Deus omnia continet & eſt omnia in omnibus.

Inferiora continentur in ſuperioribus.

Aegyptij per inferiora aſcendebant ad ſuperiora.

ſpiri-

ſpirituali ſeu intellectuali complicata contemplabantur; cuius ſymbolum erat phallus in Obeliſcis, & in Tabula Bembina exhibitus, quem intellectualis Mundi ſimulachra præferunt, vel appoſitum habent, quo res omnes ſeminalibus rationibus refertæ indigitabantur: Angelus enim quem Aegyptij Genium dicebant, omnia ſecum gerit & habet, Angelico & ſpirituali modò, imò totam Mundi machinam in ſe complicat; imò quicquid Natura & ars per naturam poteſt, id etiam Angelus ſuper Naturam & artem conſtitutus & eleuatus, præſtantiori modo poteſt. Cum itaque talis ſit Angelus, certè primam & ſupremam cauſam, ex ſeipſa exiſtentem, independentem, omnia ſecum inuiſibili & incomprehenſibili modo in Diuinitatis abyſſo, & in fontali vnitate ſimpliciſſimè complicare, cenſeri debet; tanquam eum, qui eſt omnia in omnibus, primam ſcilicet & vltima rerum cauſa: omne enim cauſatum, vt Aegyptij loquuntur, manet in ſui cauſa, & progreditur ab ipſa, & conuertitur ad ipſam, vt flos Loti ad Solem, cum omnis progreſſus per ſimilitudinem ſecundorum ad prima efficiatur. Nam à ſupremo intellectu per Fundum ſuum paternum primò prodijt lux, id eſt, Angelicus Mundus, ex luce illa inuiſibiles rerum virtutes, quas nonnulli aſtra vocant, ex aſtris Mundus ſenſibilis ex quatuor ſibi elementis compoſitus, & ſic omnia ſunt in omnibus ſuo modo, & vnum manet in altero, ſicut ſemen in arbore, & arbor in ſemine; omnia corpora ſeu elementa viſibilia ſunt in aſtris inuiſibilibus ſeu ſpiritualibus elementis, & aſtra ſunt in corporibus, aſtra ſunt in Angelis, & Angeli ſunt in aſtris: Angeli ſunt in Deo, & Deus eſt in Angelis. Sicuti igitur in Deo omnia ſunt diuinè, ita in Angelis angelicè, in Mundo ſunt omnia corporaliter, & contrà. Tota Mundi machina in Deo ἀρχετύπως eſt Deus in Angelis, Angelus in aſtris, aſtra; & ſicuti ſemen eſt arbor complicata, & arbor eſt ſemen euolutum, ita Deus eſt Mundus complicatus, & Mundus, vt ita dicam, Deus ad extra euolutus. Nam vt rectè Proclus: omnis Diuini ordinis per omnia permeat fœcunda, & dat ſeipſum omnibus inferioribus generibus, id eſt, in ſuprema omnium mente; vis fœcundatiua, verbi gratia, eſt in Angelis ſuo modo, in animabus, cœlo, elementis, & ex his compoſitis, animalibus, plantis, lapidibus, cæteriſque entium gradibus, in ſingulis ſuo modo; defert enim vnumquodque à propria proxima cauſa proprietatem, ſecundum quam illa ſubſtantiam ſortita eſt; lapis enim fœcundatiuæ virtutis eſt particeps, in quantum ei multiplicari conuenit materiali fœcunditate; planta verò eiuſdem particeps eſt vitaliter, animal ſenſitiuè, Cœlum motiuè, anima rationabiliter, Angelus intellectualiter, Deus ſupereſſentialiter, vniformiter & diuinè; vniuerſa ſeries eandem habet potentiam ad vnam Diuinam cauſam, vti Theologia Aegyptiorum lib. 10. cap. 2. oſtendit.

Angelus omnia in ſe cõplicat, ſed modo angelico.

Superiora in inferioribus, & in ſuperioribus

CAPVT IV.

Cur, & quomodo Aegyptij per hieroglyphica Obeliſcis inciſa Ideas in mente diuina exiſtenſtentes, exhibuerint.

VTI præclaræ & eminentiſſimæ Naturæ ſunt ideæ, ita plurimas & eximias per eas Aegyptij cognoſcebant vtilitates, quas Plebæi non capientes vnum, verum, & eſſentiale Exemplar, in deteſtandam Deorum multitudinem diſtraxerunt; Ideæ itaque in tres gradus, iuxta triplicem diuinæ mentis rationem diſtinguuntur. Primus pertinet ad mentem increatam; Secundus ad ordinem rerum; poſtremus ad hominem. Si ad primum conuertimur, Ideæ ad mentis cognitionem & functiones munerum eius plurimùm conducere videbimus; mens enim in ſe conuerſa per ideas cognoſcit omnia, cognoſcens producit, productaque curat & ſeruat; demptis ideis, nec de cognitione diuinæ mentis, nec de rerum ab ea dependentium ſtatu, nec de prouidentia rectè ſentire poſſumus. Si cum Aegyptijs ſecundum gradum conſideramus, inueniemus fatum & leges ab ideis duci immutabiles; Cum enim in natura ſit conſtans & rectus ordo, non caſu ei conueniens, debet ab ordine aliquo primo, firmo, conſtanti & immutabili is dependere, cuiuſmodi eſt ordo idearum in prima mente; Inſuper multum ideas conferre putabant ad nexum rerum, quæ ab ijs pendent, ad aſcenſum deſcenſumque graduum naturæ, & conſequenter ad antipathiam & ſympathiam ſingularium Mundi partium, quæ non ſine admiratione à nobis conſpiciuntur. Ex qua ſympathia ducit ortum Magia naturalis, quæ apud Aegyptios ſapientes nullo non tempore in ſummo pretio fuit. Prætereà conferunt ideæ ad generationem rerum; non enim ſemina gignerent animalia, aut plantas, niſi vim formandi, vt paulò ante probatum fuit, includerent; eam autem non includerent, niſi ab anima reciperent; ab anima eam recipere non poſſent, niſi in ea contineretur, niſi eam reciperet à mente munere idearum, mens demùm ab ipſo vno idearum capite. Accedit quod initia rerum mortalium prima debent eſſe æterna, alioquin non eſſent initia; non autem darentur propria rerum principia æterna, niſi darentur ideæ; Inſuper conducunt ideæ, vt res, quæ in materia ſunt vmbræ, alicubi verè ſint; quæ in materia fluunt, alicubi firma permaneant; quæ cum in corpore ſint inſenſibiles, id eſt, ſolùm intelligibiles, quæ cum materiali careant perfectione, per aliquid abſoluantur & perficiantur. Demùm ſi ad tertium gradum conuertamur, plurimas ex ideis in eo refulgere vtilitates conſpiciemus;

Gradus Idearum. (margin)

Vtilitas Idearum. (margin)

ciemus; conducunt enim ad eius scientiam; nec enim homo intelligendo essentias rerum, nisi in eius anima rationes ideis correspondentes essent insertæ, attingere posset; sensibus enim sola externa accidentia offeruntur. Vndè, nisi anima per rationes ad ideas eleuetur, neque propriè scire, neque intelligere dici potest, sed tantùm rectè, vel perperam opinari. Ex hoc nexu anima cum mente ex ideis dependet, quod homo contemplationi deditus dominetur & imperet corpori, non suo tantùm, sed & cæterorum naturâ constantium. Demùm ex rationum idearumque serie ortum in homine ducit Diuinatio & prophetia, quam tanto studio sectabantur Aegyptij, vt proindè mirum videri non debeat à Plotino dictum, intellectum contemplantis hominis, quamuis videatur esse in Oriente, tamen ea conspicere posse, quæ fiunt in Occidente, & cum sit in vno loco, mirificè operari posse in alio plurimùm distante, ac insuper sua cognitione alios mouere; homo enim tùm verè contemplatur, cum iungitur cum suo principio, in eoque per animam reperitur, in quo non distant, sed eminenter iuncta sunt ea, quæ apud nos distare videntur, adeò vt per causas ea videat, quæ alijs in effectis conspicere vix datum est. Plotini dictum.

Ex hac mirabili rerum inferiorum cum medijs & supremis connexu, ideatorumque ad ideam idearum conuersione veteres sapientes deducebant, duplicem singulis entium gradibus inesse rationem, vnam visibilem, inuisibilem alteram; visibile autem ab inuisibili procedere tanquam à generante generatum; atque hoc posito, ab externo veram interni fabricam, id est, Mundi maioris & minoris veram anatomiam concludebant. Nam terreum hoc corpus sensibile, non est (vti ipsi putant) propriè elementum, sed corpus elementi, propriè autem dictum elementum est vita & spiritus, in quo astra seu inuisibiles rerum virtutes, ac spermaticæ rationes latent, quibus omnia, vnumquodque iuxta speciem suam producuntur. Hoc pacto vniuersa vegetabilis naturæ soboles nil aliud est, quàm fructus inuisibilis elementi, astrorumque siue inuisibilium virtutum, quæ sub corporibus sensibilibus veluti animæ sub corporibus latent, fructus sunt; habent enim singuli fructus sua semina, & astra insensibilia, ex quibus immediatè producuntur. Pari ratione aqua non ex elemento corporeo, sed ex interno suo & astrali elemento omnes producit in terrestris Mundi matrice mineralium corporum fœtus. Aëreum elementum ex interno & astrali suo elemento tanquam vitæ balsamo, omnibus vitam largitur, & consistentiam, vtpotè sine quo nil subsistere possit. Igneum elementum ex interno suo & astrali elemento omnibus reliquis Mundialibus corporibus lucem & calorem confert; Nam vti Aegyptij loquuntur, sicuti Terra ex suo interno elemento folia, flores & fructus, ita elementum igneum ex suo interno elemento produxit in natura rerum, in firmamento, cæterisque Cœlis astra sensibilia. Atque hinc emanarunt catenæ illæ hereacleoticæ, quibus omnia ad vnam aliquam Ægyptiorũ in ideis exprimendis intentio. Catenæ Heracleoticæ.

ex

ex Diuiuis virtutibus pertinentia referunt. De quibus cùm fusissimè tùm in Cabala, tùm in Medicina Hieroglyphica disseruerimus, ea hoc loco minimè repetenda duxi; Quare illuc Lectorem remittimus. Ex hac paritèr idealium rationum connexione deducebant, quomodò vniuersum Mundum, vel in minimam petram contrahere possent. De quo vide Alchimiam Aegyptiorum, & de Magicis Telesmatis Astrologiam Hieroglyphicam consule.

CAPVT V.

De Ritibus & Cæremonijs Aegyptiorum, queis in sacrificijs ad Genios alliciendos vnicuique rei proprios, vtebantur.

Sacrificiorũ ritè peractorum vis iuxta veteres.

MAGNVM quid & ineffabile sub recta & illibata sacrificiorum exhibitione latere putabant prisci Sacerdotes; vndè si vel vnicam ex ritibus cæremoniam non rectè peragerent, totum Theurgicum opus in irritum labi, sibi, teste Iamblicho, persuadebant. Hinc tanta in sacrificijs rectè & legitimè instituendis, cura; tanta animæ corporisque dispositio, tot ac tantæ perfectiones, lustrationes, expiationes requirebantur. Cum enim sacrificia magnam, imò necessariam cum ordinibus rerum, Deorumque catenis dependentiam connexionemque habere cognoscerent; certè non alia ratione magis votorum suorum se compotes futuros rebantur, quàm si ad exemplaria singulorum ordinum, idealesque rationes, sua sacra instituerent. Norant etiam primos Hieromantas Diuino quodam furore raptos, ea tali ordine, talibusque mysterijs adornata adinuenisse, vt ipsæ primæ rerum ideæ mystico symbolorum contextu exhibitæ, opus faciendum connotarent. Quæ omnia in mensa Isiaca ob oculos ponebant, in adytis sacrificantium, vt ex ea singulorum Deorum rationes discerent, & iuxta præscriptas leges, sacrificia peragerent. Quoniam enim singuli Deorum ordines vt ipsi loquuntur suis symbolis, gestibus, habitibus, ornamentis, quibus vniuscuiusque naturam, proprietatem, actionem exprimerent, instituti essent; Hinc æquum iudicabatur, analogico & prorsùs simili rerum habitu, in conspectu Deorum, dùm sacra faciebant, comparere, vt tandem, quod prætenderent, consequerentur hoc symbolico apparatu, quo nihil potentius, nil efficacius, nil ad Deos attrahendos vehementius esse posse perperam credebant; gaudent enim, vti dicebant, superiora inferioribus, tanquam ijs, à quibus vnicè dependent, quorumque influxibus subsistant. De quibus cum amplissimè in nostro Oedipo egerimus eò Lectorem remittimus. Mystæ itaque Adyta sua, quæ

Sacrificaturi ad quid attenderint?

Superiora gaudent inferioribus, & hæc illis.

loca erant recondita, & ab omni humano consortio semora, ea industria constituebant, vt nihil ferè essent in rerum natura, quod ibi non contineretur. Et primò quidem inferioris seu hylæi Mundi pauimentum, symbolico ei conueniente apparatu, vtpotè ex omni mineralium lapidumque genere adornatum, riuisque aquarum fœcundum exhibebat; parietes siderei Mundi symbolis exprimebantur; Tholus Genialis Mundi rationem exhibebat, in cuius medio ara posita veluti centrum referebat emanationum supremæ mentis, quæ deinde in omnium Mundorum peripheriam diffundebantur; atque adeò adyta nil aliud, quàm vniuersas Mundorum series repræsentabant, ad quorum notitiam nemo aptus censebatur, nisi qui relictis sensibus, rerumque caducarum cura deposita, totum se intra se reciperet, quod adyta ipsa reconditis suis recessibus notabant. Corpora figurarum seminuda & macilenta docebant, Sacerdotes nudos & ab omni sensibilium rerum cura remotos esse debere, abstinentiæque, qua concupiscentia voluptatum refrænatur, deditos. Verenda tecta tenebant, ad animi corporisque puritatem, quâ instructos esse oportebat, indicandam. Capita velata habebant, ad indicandum terrenarum rerum curam, quæ pilis, inutilibus excrementis notabatur, prorsus esse repudiandam, vndè & sacerdotes rasos esse oportebat. In sacrificijs itaque simili, quo Deos referebant, habitu comparebant. Tutulos in capite gerebant, floribus, pennis, serpentibus, stellis, animalibus, flammis, circulis, vasis alijsque similibus, quibus Geniorum proprietates, & ideales rationes exprimuntur, compactos; quos in sacrificijs pariter imitabantur sacerdotes; illisque notabatur, sacerdotem continuò supernas Deorum ideas, quæ per tutulos notantur, speculari debere; hoc enim facto, se in eam intelligentiam, quam continuò mente voluebant, transformari, eidemque vniri, & quodammodò identificari, sibi persuadebant; Vnitos verò & iam consortio Deorum adscriptos, omnem se felicitatis metam, iam θεομόρφους, attigisse rebantur. Exempli gratia; ad Mundi trahendam animam spiritumque vniuersi coram imagine eo symbolorum apparatu adornata, quem solium in medio Tabulæ Bembinæ, & asseclæ eius exhibent, sacra faciebant; & sic operationum similitudine, hymnorumque analogicè concinnatorum, animam Mundi infallibiliter se trahere posse, ad id, quod volebant, arbitrabantur; & sic de cæteris Geniorum, Deorumque simulachris statuebant. Hinc ex vniuersis Mundialium rerum seriebus, eas tantùm ad eum Deum trahendum aptas afferebant, quem res singulæ sub dictis seriebus exprimebant. Cum enim hæc omnia sub idea, quam respiciebant, inuoluta & complicata latere crederent, ex necessitate naturæ Genios ijs rebus, quæ ipsis analogæ forent, tractos se stituros arbitrabantur & illos quidem sistebant, at non tam virtute sacrificiorum, quam occultis Satanæ actibus; qui in ijs Hierophantam agebat.

Adyta Aegyptiorum qualia fuerint.

Habitus sacrificulorũ.

Adyta Aegyptiorum vniuersitatē rerum exprimebant.

Animam Mundi per sacrificia trahendi ratio.

Quo-

Quomodò in Adytis Hieromystæ supremæ mentis thronum adornarent Hieroglyphicæ doctrinæ specimen.

SEd vt Lector omnia luculentius perspiciat hic schema apponam ex Isiaca depromptum mensa, quam Tabulam Bembinam appellamus, eo quòd eam primus Eminentissimus Cardinalis Bembus obtinuerit, inæstimabile antiquitatis Aegyptiacæ monumentum; quod deindè operâ Aeneæ Vici Parmensis Gazophylacio Ducis Mantuani cessit; deinde in eis Vrbis expugnatione abreptum; denique ad Ducem Sabaudiæ, nescio qua bona sua sorte delatum, inter rariora cimelia ibidem conseruari audio. Ex huius tabulæ schematismis, medium, ad dictorum veritatem comprobandam excerpere visum fuit; ex qua modus & ratio supremæ diuinitatis repræsentandæ ratio luculenter patebit, & est vti sequitur.



Vides hic Thronum *a b c d l m.* quam Hieromystæ magnam Deorum portam appellabant summa symbolorum architectura fabricatum. Cuius suprema coronis seu frons *a b* flammas in aspidum surrectarum formam exprimit. Secunda coronis *c d* globo aligero; tertia *e f*, & basis L M throni eodem insigniuntur. Coronis tota binis columnis *e l*, & *f m* albo-nigris gradibus est distincta, quarum *E L* Isidis caput impositum sustinet. Huic Throno inseritur figura S sub habitu fœmineo, ab sembilico ad pedes pennigero, fœmoralium formâ, ab vmbilico sursum versus pectus vbere exitiitio tumet; Caput eius vitta sacra Aegyptia tegitur; velo superexpanditur Meleagris, quæ volatum affectat; in huius dorso calathus eminet, ex quo duæ Perseæ folia emergunt, & bina cornua, quæ circulum Scarabæi figura notatum intercludunt; vna manu sceptrum Loti flore insignitum tenet, altera eum gestum exprimit, quò imperiosè aliquid executioni dandum præcipitur. Sedi insidet rasæ, & canis sedentis figura insignitæ; sub throno Abacus spectatur, cuius limbus, vti & totius throni circulis stellatis notatur. Intra abacum figura ponitur accubans ex Leone & accipitre composita, ἱερακο-λεοντό-μορφος, quæ in capite Lunæ sextilis phasi, vna cum stella signatur; pedibus anterioribus Canopum continens; à tergore verò globus alatus serpentifer eum sceptro visitur; Throno adstant vtrinque duæ columnæ floridæ V. Vv, quibus duæ aspides surrecto pectore tumentes tutulisque insignes, veluti throni excubitores adsistunt; vidimus ingentem latentium sub hoc schematismo symbolorum apparatum, nunc quid omnia & singula significent exponamus. Thronus paulò ante descriptus, nil aliud indicat, quam supremæ mentis triformis, vt ipsi vocabant, in vniuersas trium Mundorum semitas diffusionem, ex cuius euolutione nascitur Mundus, siue vniuersum hoc sensibile, quam Plutarchus domum Hori, magnam verò Deorum portam Aegyptij Hieromystæ vocant; quamque ex Trigono archetypo profluxisse ex Platone alibi docuimus. Coronis *a b* suprema Throni seu Portæ in modum flammarum ὀφιομόρφων diffusarum, indicat mentem supremam luce & vita plenam, æternam, incorruptibilem, ab omni materiæ contagione segregatam; Ἡνίκα ἴδῃ βλέψῃς μορφῆς ἄτερ τὸ ἱερὸν πῦρ λαμπόμενον σκιρτηδὸν ἂν ὅλον κατὰ βένθεα κοσμοῦ, κλῦθι πυρὸς τὴν φωνήν. *Cum videris absque forma sacrum ignem micantem saltando profunda totius Mundi, tunc aduertas ignis vocem*; atque hic est ignis ille abstractissimus, & in sublimitate diuinæ essentiæ absconditus; iuxta illud eiusdem Zoroastri ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασεν, οὐδ᾽ ἐν ἑῇ δυνάμει νοερᾷ κλείσας ἴδιον πῦρ. *Seipsum enim summus Pater Deus rapuit, neque in sua potentia intelligibili ignem suum conclusit*: Sed ipsum reliquis Mundis communicauit, πάντα γὰρ εἰσὶν ἑνὸς ἐκγεγαῶτα. *Omnia siquidem ex vno igne producta sunt*, quæ pulchre sanè & scitè in hoc schematismo expressa sunt, siquidem ex centro in Mundos euoluta suprema mens, ignem communicauit Mundo intellectuali siue Geniorum per spiritum; Secundò Mundo sensibili, seu

Expositio schematismi

Plato:

Zoroaster in oraculis

ſidereo, tertio elementari; quæ omnia per coronidem a b quæ Mundum refert empyreum. ſeu Archetypum luce vitaque infinita refertum; queis extra ſe euoluta mens Angelicum Mundum, ſiderium & elementarem imbuit; quæ per globos alatos in medio coronidum c d. e f. l m. apte ſignificantur. Deindè mens iam iterum extra ſe euoluta in operibus ſuis ſe ſenſibilem quoque exhibuit; atque hæc eſt imago medio throni impoſita; quàm Myſtæ paternæ mentis Fundum, vel etiam Iyngem pantamorpham, Plato quoque ex eorum mente iam verbum, modo animam Mundi, alij colcodeam vocant; quam Hieromantæ congrua ſymbolorum congerie in medio throni tanquam in centro vniuerſæ Naturæ, quam moderatur, poſuerunt. Sedet primò, vt innuatur poteſtas & dominium in omnia: ſedes cane ſedente fulget, quia Iynx hæc ſeu paternum fundum in Anubico Sothios aſtro refulget: quia per canem Anubis intelligitur, miniſter Iyngis ad cuſtodiam rerum deputatus. Fæmoralibus varia alarum textura expreſſis, velocitatem ſublimitatemque operationum, quibus in vniuerſi Mundi ſemitas ſe diffundit, indicat; ab vmbelico ad pectus vſque innumeris denſatur vberibus, quibus Mundi machinam neceſſariarum rerum vbertate continuò alit enutritque: Zonæ collo circumdatæ orbes denotant cæleſtes, quos continuo motu agitat, velo tegitur caput, ad abdita & inacceſſa Naturæ, quæ mente operatur, myſteria connotanda. Vides in capite ſupernæ mentis, Meleagridis figuram, ſub actu volantis expreſſam, quæ quid ſignificet aperio. Dicuntur Meleagrides ex mente Mythologorum, ex eo quod Meleagrum interfectum ſorores eius ad ſepulchrum plangentes à Diana in Meleagrides conuerſæ dicantur. Aegyptij verò multò alia ratione de Meleagride, quam & Gallinam Pharaonis vocant, philoſophantur. Cum enim viderent totum huius volucris corpus ineffabili quadam ſymmetria conſtitutum, in eam venerunt opinionem, Animam Mundi, quam Pantamorphum Naturæ Genium dicebant, in huius ſibi volucris corpore ſedem conſtituiſſe; eandemque ob cauſam volucrem hominibus ſagacibus ſe aperire circa eas res, quas tanta maieſtate, ordine & diſpoſitione, plumarumque varietate fulgere cernerent, arbitrabantur. Vndè non ſine cauſa hanc Auem Pentamorphæ naturæ capiti, vti ex ſchemate patet, imponebant. Triquetrum caput habet, ad indicandam triadem, qua fundum paternum conſtituebatur; corpus cæruleum habet gibboſumque ſeu in formam arcus effectum, quo firmamenti arcuatam cæruleamque ſuperficiem denotabant, non ſecus ac volucris corpus cæruleum innumeris veluti ſtellulis exornatum. Vnde non immeritò Abenephius illud firmamentis ſymbolum fuiſſe aſſerit.

الرخاجة فرعون هي علامة الفلك الفلوـــــك

Gallina, inquit Pharaonis, *fuit ſymbolum ſphæra ſtellarum*. Quemadmodum enim firmamentum varijs ſtellis ornatum eſt, ſic gallina pharaonis.

raonis, maculis veluti ſtellulis per totum corpus mira naturæ arte depictis variegata eſt; vnde Hierophantæ eam non immerito in firmamenti eiuſque præſidis ſymbolum aſſumpſerunt. Caniſtrum capiti dorſo Meleagridis inſiſtens, abundantiam fructuum, quam proferr; Perſeæ folia ſapientiam, quâ omnia mirificæ diſpoſitionis lege coordinat; ob impenetrabilem operationum quo vtitur modum, non tam ſermone, quam deuoti cordis ſilentio colendam & adornandam ſignat. Nam, Horo teſte, habet Perſea arbor folia ſimilia linguæ, & fructum cordi ſimilem, quæ abditæ ſapientiæ in Deo ſymbolum ſunt. Cornua Bouina Lunam, ſeù Iſidem, vnde & à poëtis Bumorpha quoque dicitur; & Scarabæus circulo incluſus, Solem ſiue Oſirim exprimit, quibus Solis & Lunæ miniſterio, omnium dictarum rerum varietatem effici docetur; dextra manu ſceptrum renet Lotiferum, quo ad paternæ mentis exemplar omnia ſe moderari demonſtrat. Loti enim flos, vti ſupra diximus indefeſſo motu Solem noctu diuque teſte Theophraſto, ſequitur: imperioſo verò ſiniſtræ manus geſtu, omnia eius mandatis iuſſiſque ſubſtare, vti & adminiſtros circumſtantes ad obediendum promptos innuit. Nam vt rectè Zoroaſter, πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ. *Nam omnia Pater perfecit, & menti tradidit ſecundæ, quam primum vocant nationes virorum.* Atque hoc eſt vniuerſæ Naturæ mater Iſis; *Omnia continens, omni-mammea, bumorpha Sothis & refulgens in aſtro canis.* Iuxta illud, quod Diodorus, adducit, epiphonema.

Ἐγώ εἰμι πάντα γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ πέπλον ἐμὸν οὐδεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψε. Effatum de Iſide.

Ego Iſis omne ſum id quod eſt, & fuit & erit, & meum peplum nemo mortalium vnquam detexit. Quæ quidem nulli alteri, niſi fundo paterno hoc eſt Iyngi intelligibili, ſeu verbo paterno competere poſſunt: quæ ita ſeſe habere vberrime omnigena auctoritate ſtabilita citato loco reperies. Porro hoc eſt idearum Mundialium in mente ſuprema exiſtentium penuarium; Portæ magnæ ſtylobatæ V L. VVM. in quibus quadrata, quibus circuli nunc 6 aut 8, vel etiam affectis in florum morem radijs inſcribuntur continuato ordine circumcirca depictæ videntur, per quadrata quidem, tetradem, per 8. radios ogdoadem, myſticum numerum, vti in Arithmologia noſtra myſtica docuimus, notant; quæ addita 4. ſcilicet ad 8. conſtituunt numerum duodenarium, mundanæ perfectionis ſymbolum, exprimuntque particularium rerum ideas, de quibus ampliſſimè in noſtra Geometria hieroglyphica 2. 2. Oedipi parte. Quoniam verò in Mundo elementari omnia, dierum noctiumque tenebrarum luciſque conſenſuum diſſenſuumque viciſſitudine in æthereo, motuum contrarietate, in intellectuali geniorum diſſidijs in elementis conſono-diſſonis qualitatibus ad vniuerſi conſeruationem conſtituuntur; aptè ſanè hanc mundanæ fabricæ conſtitutionem ex bonis maliſque conflatam, per binas columnas candido-nigris gradibus diſtinctam throni ſuſtentatrices

hæc qua varietate contrarietatem Mundus consistere non posset, expresserunt. Adstant & throno vtrinque duo Aspides V & VV floridis suis fulcitæ columnis, & sunt Agathodæmones ophionij: queis cura calidi & humidi, in quibus vita rerum omnium elementarium consistit: potissimum vegetabilis Naturæ custodia committitur (vti floridæ columnæ docent, in quarum priori, 12. distinctiones cernuntur, quibus motus Osiris hieracomorphi ophionij per 12 signa Zodiaci occulte denotatur) committitur.

Tandem mundanæ huius domus throno Abacus subijcitur, Mundi elementaris symbolum, & is vti superiorum Mundorum influxibus per alatum globum expressis substare indicat; ita quoque elegantibus symbolis in inferiori throni parte eum expresserunt. Intra hunc siquidem abacum vides Leonem T accipitrina facie, necnon nigro velo sacro spectabilem, qui anterioribus pedibus Canopum continet, binis flammis, pennisque & circulo in capite insignem. Per Leonem terrestre animal incumbentem Tellus rectè radicatur, per accipitris spiritu igneo pollentis caput, ignis elementum; per figuram Lunæ in capite vna cum stella, omnia Lunæ stellarumque subsidio inferiora gubernari indicant; Per Canopum Aqueum elementum pulchrè exprimitur, in cuius capite flamma bipartita vna cum duabus pennis conspicitur, queis aëreum elementum notatur, per alatum verò globum Leoni suprapositum, primæ mentis in omnia, vti in sæpe dictum fuit, diffusionem notat. Hunc adstant duæ figuræ, prior R, virili, altera X sub fœmineo habitu; tutulis, sceptris florigeris, vberibusque turgentibus conspicui, qui conuersis vultibus ad Iyngem primam mentem ab ea iussa petere videntur; Mundi sensibilis vti Psellus loquitur ductores; & Iyngis horum administri, rerumque indicant actiuum passiuumque principium, per habitum virilem fœmineumque vberibus quoque tumentibus quam largiuntur fæcunditatem testantur; manibus contractis efficaciam in operando ostendunt; tutulis verò sceptrisque potestatem sibi in omnia ab Iynge concessam docent; in tutulo trigono globo affixo, ostendunt omnia ab archetypo trigono profluxisse: per aspides hinc inde exurgentes in tutulo figura X, vitalis in omnibus motus notatur; verbo, tutulis monstrant, iuxta ideas in suprema mente conceptas rerum ordinem se administrare ostendunt; Quæ omnia tot ac tantis mysterijs conferta sunt, vt non dicam vna pagina, sed nec vel integro libro pro dignitate explicari possint; Quare sufficit tantum hic mysticæ, qua sua simulacra veteres sapientes, adornabant, Solertiæ specimen dedisse; qui plura desiderat, is adeat opera nostra hieroglyphica, vbi in Theologia Aegyptiaca, & Bembinæ Tabulæ expositione omnia plenè descripta & variè probata reperiet.

Expositio schematismi

Hæc itaque & similia Theosophicæ doctrinæ documenta in adytis & delubris exponebant, vt sacerdotibus iuxta ea in sacris secundum quandam similitudinis expressionem, operaturi Dij eiusmodi ritibus & ceri-

monijs

monijs myſterijs confertiſſimis, attracti allectique neceſſariò id quod peterent, concederent; verum cum hæc in præcedentibus ſignificauerimus, non ampliùs ijs immorabimur. Quare iam relictum inſtituti noſtri filum reſumamus.

Certè vel hinc oraculorum ſcientiam, originem ſuam ſumpſiſſe, luculenter patet, vt alibi dictum fuit; non ſecùs ac chorda tacta conſimiles ac æquiſonas concitat, ita fieri putabant, dum contemplarentur, ſiquidem vt ipſi philoſophabantur mens eorum Ideæ principi connectebatur, & per vnionem intellectualem Deiformis reddita, omnia in prima Idearum idea cognoſcebant, vndè in animis eorum naſcebatur, vti putabant, prophetia & Diuinatio, quà de futurarum euentibus rerum, diſſitorumque locorum ſucceſſibus, maliſque impendentibus determinatum iudicium ſe dare poſſe credebant; Cum enim in Mente ſuprema, teſte Plotino, omnia ſint ſimul & indiſtincta, futuraque tanquam præſentia ſint, neceſſarium fore iudicabant, vt mox ac mens, ſeu humanus intellectus in ſupremæ mentis intellectuſque contemplatione abſorberetur, conſequenter per hanc Deificam vnionem omnium futurorum ſcientiam adipiſci ſe poſſe ſibi perſuadebant. Prætereà omnia in Obeliſcis expreſſa ſimulacra nil aliud erant, quàm amuleta, ſeu prophylactica quædam, periapta, quæ dicto analogico rerum apparatu, mox vt eſſent conſecrata, ſuperiorum poteſtatum, quas referebant, virtutem in eadem, ineuitabili quadam neceſſitate deriuari, ijſque omnes malorum occurſus, Geniorum, quos notabant, ſubſidio, auerti credebant; De quibus cum curioſè in Magia & Theologia Hieroglyphica ex omnigena auctoritate actum ſit, eò Lectorem remittimus. In occultorum morborum cura, magnæ huiuſmodi magica ſchemata efficaciæ & virtutis eſſe putabant; Genij enim, quibus ſacra dictis ritibus & cæremonijs perſoluebant, putabantur ijs præuia diſpoſitione expiatis in ſomno apparere; & de medela morborum edocere eos; quemadmodum de Epie, ſacro ſcriba narrat Aſtrampſychus. Hic Iſin de morbo incurabili conſulens, noctu eandem adſtantem vidit, cornibus bouinis, tutulo florigero, veſte variegata, eo prorſus modo, quo eam hieroglyphicè adornatam in adytis ponebant ſpectabilem; manibus ipſi Motmutin herbam, morbi, quem patiebatur, vnicum medicamentum, offerebat, quam à ſomno vigil cum inueniſſet, & ſe, & quotquot eo morbo infeſtabantur, eius applicatione à manifeſto mortis periculo liberauit, in quibus tamen ſemper Satan ſeſe immiſcebat. Hoc eodem pacto de omnibus difficultatibus & dubijs Deos conſulebant, per ſimulacra myſtico ritu adornata, quorum Ideas intenta mente dum contemplarentur, per varia ſigna, nutus, geſtus, de varitate, vel falſitate, vel in ſomno, vel mentis raptu ſe commonefieri credebant. Vide de his plura in Medicina & Magia hieroglyphica. Hinc nullus ferè, qui non huiuſmodi icunculas ſecum geſtaret, reperiebatur, de quibus in Magia hieroglyphica fuſiùs; In quibus tamen ſemper ferè

Dæmon

Oraculorum origo.

Diuinandi ſcientiam quomodò Ægyptij inquirebant?

Magiæ origo.

Epies Iſidis apparitione imbuit.

Dæmon occulta fraude ad animas huiusmodi cultu superstitioso illaqueandas, se immiscebat; Vndè meritò talia ab Ecclesia tanquam diabolicæ artis ilusiones prohibentur & damnantur.

Certè totum studium eorum in hoc potissimum positum fuisse videtur; vt quodcumque in triplici terrestris Mundi œconomia lapidum, plantarum, animaliumque ad Numinum operationes similitudinem quandam habere viderent; illud quoque sub talis, & talis Numinis siue Genij tutela esse, aptumque proindè ad eos per mysticos sacrificiorum ritus attrahendos opportunum efficacissimumque medium indubitanter sibi persuaderent. Vnde nihil illis adeò vile erat, & tenue siue lapidum, cæterorumque mineralium, siue plantarum, radicum, seminum, siue denique animalium, volatilium, aquatilium, necnon insectorum figuras proprietatesque spectes, quod non ad huiusmodi mysticas illiciorum rationes adhiberent: vtpotè qui superstitione patria excæcati, necnon diuini Numinis allapsu destituti, omnia plena dispartitæ diuinitatis esse crederent, atque adeo veri & vnius Dei cultum religionemque in detestandam πολυθεΐαν, distraherent. Conabantur quidem ipsi sub velamento mysteriorum insaniam obtegere, dicentes (vt ridiculè Porphyrius philosophatur) diuinitatem non per hominem tantum, sed & per omnia pertransisse.

Virg.Georg 4.

——— *Deum namque ire per omnes*
Terraque tractusque maris, Cælumque profundum.

Cuiusmodi superstitiones cum stomacho & risu non semel recensuit Cicero, Aegyptiorum in hoc genere dementiam admiratus. Iuuenalis verò non magis acriter, quàm verè cecinit:

L.1. de nat. Deor. Sat. 15.

Quis nescit Volusi Bithinice qualia demens
Aegyptus portenta colat?
Porrum, & cæpe violare nefas, & frangere morsu
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Vt proindè mirum non sit, humani generis hostem eorum se operationibus vt plurimum immiscuisse; viget & in hunc vsque diem in animis superstitiosorum hominum pestifera illa persuasio, vt quandocunque quidpiam insolenti aliquo naturæ characterismo insignitum intuentur, statim sub eadem quoque aliquid diuinum latere sibi persuadeant, veluti quoddam ad illud, quod ipsi prætendunt ambiuntque obtinendum, periamma peropportunum. Dum hæc scribo, nonnulla huius farinæ schemata Ouidius Montalbanus Philosophus & I. C. celeberrimus, eximij operis Dentrologici Author Bononia ad me misit, quæ ad attestandam dictorum veritatem subiungenda duxi.

Prima



Prima figura auis lignea eſt, quam & ea de cauſa xylogonam haud incongruè appellat, quæ in Acere arbore geniculata inter ſaxa ſuborta, Anſeris formam ſortita fuit, vti ſchema præcedens docet, & etiamnum apud Dom. Blancum de Nigris Bononiæ ſpectandum curioſis exponitur.



Lector hanc figurã erecto ſitu cõſiderari debere.

Altera

Altera radix est Iuniperi, quam Natura in Bubonem serpente ipsum quasi confecturo circumdatum efformauit; respondetque infra posito symbolismo hieroglyphico tum in hoc, tum in alijs Obeliscis posita obuia. Pugnam enim Typhonis & Ophtæ indicaturi Hierogrammatistæ, Noctuam & aspidem surrecto pectore colloque tumidam exprimebant. Est enim Noctua, quâ inauspicatum malum innuebant, Typhonis symbolum; Aspide verò viuacissimo serpente, Ophtam significabant mundanæ vitæ præsidem; quos continuas inter se luctas exercere, Authore Plut. referebant. Fuit itaque hoc veterum sacerdotum ingenium, ex singulis rerum naturalium classibus apta ad mysticos, allegoricosque Theosophiæ sensus exprimendos, symbola reperire. Tertia figura fuit caput muliebre velo inuolutum, in ligno oliuæ dolato repertum. Quæ tria si veteres Hieromystæ reperissent, proculdubio per Anserem Chenosyrin; per noctuam verò serpente circumdatum Ophtæo-Typhonium dissidium; Velato verò mulieris capite, Isidem oliuæ inuentricem significassent, cum hoc velo caput Isidis in plerisque statuis sub hoc habitu cernatur. Quæ hic interserenda duxi, vt ex ijs Aegyptiorum veterum ad hieroglyphicos Schematismos formandos ingenium compareret.

Aegyptiorum ingenium.



CAPVT VI.

Quid Aegyptij per tot ac tantos Religionis actus, ardentissimumque Deorum cultum vltimatè intenderint?

DIXIMVS sat affluenter in prædictis de Arcana Aegyptiorum philosophia, quàm potissimùm Obeliscis incidere solebant ea de causa, quod hi, vel sola figura sua, nescio quid mysticum, & arcanorum notitia confertum, præseferebant; Vti verò intentus ille Religionis cultus in certum aliquem finem dirigebatur, ita quoque, cum nihil in humanarum rerum statu, Regni felicitate desiderabilibus esse nossent, hoc verò sine Numinum assistentia obtinere non possent; hinc summo studio apud eos huius quantumuis falsæ & superstitiosæ Religionis Dæmonumque illusionibus infestæ cultus floruit, vt proindè Obeliscorum huiusmodi erectio nihil aliud fuerit, quàm malorum omnium Aegyptiæ Telluri imminentium veluti obstaculum quoddam auerruncatiuum, quo durante, ab omnibus Typhonijs aduersæ fortunæ machinis politicum Regni statum immunem futurum, certò sibi persuadebant, vtpotè Obeliscis ad super-

Felicitas politica, qui durabilis foret

narum

narum mentium exemplaria, ideamque constitutis; quemadmodum ex Obelisco Ramasseo, siue Lateranensi, à nobis facta interpretatione patet; Vbi quomodò Imperium politicum ad æternas ideas hieroglyphicas instruxerint, Lector curiosus inueniet: Idem in hoc paruo Obelisco, qui illius Ramessei non nisi epitome quædam dici potest, interpretatione luculenter patet.

Hieroglyphica notabant quomodo imperiū politicū ad diuinas ideas constituendam sit.

Existimabant enim Aegyptij, nullum Regnum consistere posse, nisi in Religione (qui est supremi Numinis cultus) fundatum; Quæ omnia adeò clarè lib. 10. de legibus Plato exponit, vt ad Aegyptiorum normam respexisse videatur. Compertum enim habemus, rerum in Natura elucescentium ordinem vbique à ratione pendere, & ordinem quidem nusquam, & nunquam interruptum à præpotente ratione, ordinem denique congruum, commodum, & mirifica vnione omnia connectentem ab optima ratione emanare. Cum itaque Vniuersi tùm dispositio, tùm progressio ordinatissima sit, ac semper, & vbique talis, neque id sine summa commoditate; necesse est, Mundum ab optima potentissimaque ratione disponi atque moueri. Cum verò vnum sit Vniuersum, vnum verò à diuersis non fiat, nisi ab vno, consequens est, summam esse einsmodi rationem. Esse prætereà rationes plures Diuinas sub summa ratione Diuina, vt in vno Mundano opere ratione summa ordinato, complures sunt globi specie inter se, & virtute multiplici distincti, omnesque mira ratione ordinati, adeò vt Mundi quodammodò multi in amplissima videantur Mundi vnius circumferentia contineri, pariter multi Mundorum quasi augustorum Rectores deinceps dispositi sub vno amplissimi Mundi Rectore comprehendantur. Qui sanè cùm non duntaxat ordinatior sit, sed ipse, vt ita dixerim, immensus ordo, ordinatore quam ordinato multò magis gaudeat. Quocirca si multis in Vniuerso ordinatis, proculdubio delectatur, multis quoque eum ordinationibus delectari necesse est; quippè cum amplissimi Regis excellentissima in hoc amplitudo consistat, vt non augustos tantùm seruos, sed amplos quoque multosque infra se Reges habeat. Cum prætereà supremum Numen, quæ facit, intelligendo faciat, ac si totum facit, totum quoque intelligat; si cognoscat totum, cognoscet & partes, ex quibus totum constat; Si partes, ergò necessarias particulas, ex quibus partes coalescunt; potest ergò & scit Vniuersum gubernare, qui scit & potest eidem prouidere, totum verò gubernare, nisi gubernatis partibus non potest: non negligit itaque minima gubernare, qui facere minima non negligit, neque difficilis est gubernatio, cui facilis est procreatio. Nam quantò plus à Deo dependent opera Dei, quàm artis vel Naturæ opera ab Arte vel Natura, tantò omnibus & singulis diligentiùs prouidet, vtpotè per cuius prouidentiam, cætera quoque id habent, vt similiter suis quæque prouideant. Cum itaque hæc prouidentia circa politicum quoque corpus sit, cuius gratia reliqua omnia constituta sunt, certum est, Regnum

Quomodo Aegyptij ex ordine rerū vnam supremam mentē esse debere, repererint.

Deus intelligendo omnia facit.

Prouidentia Dei.

quoddam ad Diuini intellectus, & prouidentiæ exemplar conditum, non alio firmiore fundamento niti posse, quam analogo quodam, ad supremæ mentis reliquarumque mentium subordinatarum normam ordine constitutum. Qui finis fuit & scopus rerum in hoc Obelisco, sub occulto symbolorum contextu demonstratarum.

CAPVT VII.

In quo quæcunque in præcedentibus dicta fuerunt, varijs Hieroglyphicorum Schematismis comprobantur.

VT operationes Hieromystarum in Adytis sacrificantium luculentiùs videantur; hic nonnulla adducam hierogrammata, quibus dictorum veritas patefiet. Habetur in Musæo Eruditissimi Viri Leonardi Augustini, Antiquarij Pontificij, Schema Hieroglyphicum, quod & ari incisum, hic ad dictorum confirmationem adiungendem duxi.

Figura Sacerdotem refert Calatho pennaceo, quem capite gestat, conspicuum, cæterùm nudum corpore, excepto quod verenda tegat mysterioso fæmoralium amictu; manibus gestat mensulam ijs figuris, queis vides instructam, ex qua mira quadam & exotica repræsentatione florum, qui deorsum vergunt, concatenatæ series dependent, & inter cætera Meleagridum fasciculi ex vna, ex altera piscium formæ, quos sacrificulus filis brachio allegatis gestat. Habes Lector ectypi tibi propositi descriptionem; nil restat portò, quàm vt omnia eius mysteria quàm exactissimè exponamus.

Quidquid itaque cap. IV. de ritibus Sacerdotum in adytis sacrificantium diximus, hic expressum vides. Nam ad aliquid à Supremo Numine obtinendum, id non credebant se consequi posse, nisi sacra sua, mystico quodam apparatu Deorum actionibus analogo, instituerent. Vides hic Sacerdotem mystam, Osiri & Isi sacrificantem, qui, vt id, quod intendebat, ab hisce Dijs obtineret, Tutulum gestare debebat pennaceum, ex accipitrinis pennis constitutum; Osirin enim per accipitrem exhibitum, suprà ostendimus; Tutulus in apice, Lunæ-Solarem globum continet, quo Diuinus Osiris & Isidis influxus ostendebatur, pennæ duobus Lothi floribus in modum Calathi diffusis insistunt; quibus signatur vis influxiua, primò in Mundum sidereum per Loti flores deorsum vergentes; Secundò hinc in inferiorem Mundum, qui per Loti flores repandos sursum tendentes, veluti influxus superno excepturos, significatur, quo veluti mysticis signis plurimùm Osirin & Isin oblectari credebant; Nostro verò philosophandi more, nihil aliud, nisi principium actiuum per Osirin, &

Habetus Mysta in Adytis sacrificantis.

Expositio symbolorũ.

pas-



Habitus Hierophantæ Ægyptij
in Adytis sacrificantis
ex musæo Leonardi Augustini Antiquarij.

paſſiuum per Iſin notabant; à Solis enim cum Luna congreſſu omnium rerum generabilium vita dependet. Cæterùm Sacerdos nudus corpore debebat comparere, ad indicandum, à terrenarum rerum, voluptatumque carnalium concupiſcentia animum liberum, vndè & fœmoralibus ſolummodò ad verenda tegenda, indutum eſſe oportebat; Orbitæ inſiſtit, quo indicatur, eum cœleſtibus tantùm & Diuinis rebus, tempore, quo ſacra operabatur, inſiſtere debere; prætereà opus eſſe, vt graui vultu & reuerentia pleno, ante diuinum Numen ſe ſiſtat. Sed iam quid per eam, quam manibus portat, menſulam oppidò myſterioſam, intendatur, videamus. Menſula, in ſeparata figura, ſignata litera A. continet in ſe primò duas phialas Cruce ſignatas, canaliculis ſuis ophiomorphis, ſiue in formam ſerpentum contortis, inſtructas; Sequuntur duo faſciculi ſpicarum, inter quos medio loco catinus ſex panibus in formam pyramidis diſpoſitis repletus continetur, cui tandem ſupponitur Vas Niloticum; Menſulam verò neſcio quæ imago, facie abſcondita, extenſiſque brachijs quaſi tenere videtur. Quæ quid indicent, aperiamus. Figura facie abſcondita tenens menſulam, ſignificat occultam inſenſibilemque inter ſacrificandum ſupremi Numinis aſſiſtentiam, cuius influxu Cœleſtis Nili liquor per phyalas Epariſterij in præcedentibus declarati (cum quo hæ phylæ eædem ſunt: & fons, vti paulò ante diuinus, qui Hecateus dicitur ſiue vitigineus) in quadrifido Hylæi Mundi fines diffuſus, per ☩; vitam per canaliculos ophiomorphos, indicatam, largitur potiſſimum alimentum vitæ, quod eſt frumentum, per duos ſpicarum faſciculos notatum; Catinus verò ſex panibus in pyramidem diſpoſitis, notat ſex panes, propter ſenarium principalium Geniorum Aegyptij præſidum numerum, offerendos; in pyramidem diſponuntur, vt catena geniorum exprimatur, quâ vnius ſupremi in reliquos ſubordinatos & colligatos, imperium exprimitur. Supponitur Vas Niloticum, quo cultus notatur fluminis, cuius beneficio omnium iam dictarum Aegypto neceſſariarum rerum copia & vbertas concedi credebatur. Porrò ex limbo partim menſulæ, partim brachio manibuſque Myſtæ alligato, florum Nymphææ, Perſeæ, Loti, concatenatæ ſeries dependent; quibus Oſiris & Iſidis, ſiue Solis & Lunæ, in omnem vegetabilis Naturæ œconomiam, ille per florigerum apparatum, hæc per Meleagrides ſignatur, quas Gallinas Pharaonis vocant, vis influxiua prænotatur; Luna enim, vti humori præeſt, ita occulta & abdita ſignificatione indicant, vim Lunarem aſtringi debere, ne nimia Nili inundatione & humoris copia omnibus deſtructis, ſterilitatem inducat, quæ ex altera parte aptiſſime per faſciculum piſcium indicantur, qui ſunt Typhoniæ violentiæ & malignitatis ſymbolum. Supplicat itaque Sacerdos ſupremo Naturæ Genio, pro auertendo ab Aegypto ſterilitatis detrimento. Atque hæc eſt vera & genuina huius hieroglyphici ſyſtematis interpretatio.

Expoſitio ſymbolorũ & Menſæ ſacræ.

Ornamentorum Menſæ expoſitio.

CA-

CAPVT VIII.

De falsis & superstitiosis Aegyptiorum Sacerdotum ritibus & Cœremonijs, quibus ad Genios Mundi vnicuique rei proprios alliciendos in sacrificijs vtebantur.

DE adytis Aegyptiorum locis obscuris & subterraneis copiosè egimus in I. Tomo Oedipi Aegyptiaci Syntag. V. Quare hoc loco tantùm, quid in ijs operati sint Magi, & quas cœremonias peregerint, explicandum restat. Adytorum descriptio. Erant autem complura in Aegypto huius generis latibula, & vt Clemens ait, pro numero oraculorum, aut Nomorum, Diabolicarum artium sacraria; in quibus primò in muris depictæ spectabantur hieroglyphicæ doctrinæ documenta, ad spiritus attrahendos aptissima. Primarium Numen cum asseclis Genijs pro loci ratione diuersis, aræ impositum cernebatur, mira transformatione deturpatum; erat & vicina piscina sacra, Sacerdotis habitus. in vsum rituum & expiationum destinata; totus locus obscurus, & non nisi luminibus illustrari poterat; intra hunc Sacerdotes statutis diebus conueniebant, eo vestium & ornamentorum habitu, quo tùm Numen primarium, tum asseclæ adornari conspiciebantur; in silentio summo tenebras illas supremi atque immensi Numinis, quæ per loci caliginem indicabatur, attestabantur; deindè singularum figurarum mysteria parietibus depicta vim & efficaciam docebant sacris initiandos; In hisce itaque adytis seu remotis ab omnium hominum consortio recessibus, docebatur Theologia illa mystica, verius Magia Aegyptiorum arcanior hieroglyphicis descripta symbolis, quæ non nisi Sacerdotalis ordinis hominibus tradebatur. Quæ omnia testatur Arnobius cum de Mago quodam Arnobius. Aegyptio loquitur: *Magus*, inquit, *suis clandestinis artibus omnia illa perfecit, Aegyptiorum ex Adytis potentium Angelorum nomina, & remotas furatus est disciplinas.* Neque adyta solùm Aegyptiorum summè celebrabantur ab omnibus; sed & libri magici, quibus coniurabant Dæmones, & sui eos iuris facere nitebantur Sacerdotes, proferebantur: de quibus Lucianus in philopseude: *Domus infestabatur à Dæmone, ego autem* Lucianus. *accepi libros, quos plures huiusmodi apud se habebant, veni domum, & quam maximo horrendo carmine Dæmonem exegi, vocem imitatus Aegyptiam.* De altera quodam Aegyptio Mago, qui occultas Aegyptiorum artes magicas nosse desiderabat Clemens Alex. *Ibo*, inquit, *in Aegyptum &* Clem.Alex.

Adyto-

Adytorum Mystis, Sacerdotibus, & prophetis amicitia sociabor. Quinam sunt alij hi libri, nisi quos diximus muris, mensis, fabulisque alijs, hieroglyphicis auium, serpentum, quadrupedum, hominumque in vnum varia metamorphosi compositorum imaginibus inarati? neque enim aliud Adyta tenebant. Quæ adeò vera sunt, vt vel ipsa sacra Scriptura Hebræis huiusmodi abominationes, quas in adytis more Aegyptiorum

Hebræi Aegyptiaci ritibus afficiebantur.


in subterraneis locis extructis peragere solebant exprobrare videatur. Tale adytum fuit, quod Deus Ezechieli monstrabat cap. 8. vers. 7. *Et introduxit me ad ostium atrij, & ecce foramen vnum in pariete, & dixit ad me; Fili hominis, scinde parietem, & cum scidissem parietem apparuit ostium vnum, & dixit ad me, ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt, & ingressus vidi.* והנח בל תבנית רמש ובהמה שקץ וכל גלולי בית יפראל מחקה בקיר *Et ecce omnis similitudo reptilium & animalium & idola vniuersa domus Israël depicta in parietibus circumcirca.* Vides hic non ad aliud, quam ad ritus & cærimonias in adytis Aegyptiorum, quibus Hebræi adeo dediti erant, peragi solitas alludi? Quorum quidem ratio tanti apud Græcorum Philosophos, tametsi non nisi fama tantùm relata habebatur, vt Cle-

Pythagoras vt Adyta adire posset circumcisionem admitti

mente teste: Ὁ Πυθαγόρας περιτέμνετο, ἵνα δὲ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθῃ φιλοσοφίαν: *Pythagoras circumcisus est, vt in adyta ingressus mysticam ab Aegyptijs disceret philosophiam.* Et Iustinus quæst. ad Orthodoxos cap. 25. Τίμια δὲ ἦν τότε παρ' Αἰγυπτίοις μαθήματα τὰ ἱερογλυφικὰ, ἀλλὰ τοῖς ἐγκρίτοις παραδεδόμενα, ἀστρονομία δὲ καὶ ἀστρολογία παρ' αὐτοῖς τότε χυδαῖά τε καὶ πεζὰ, καὶ ἀγοραῖα μαθήματα λελόγισο. *Id temporis hieroglyphica disciplina in pretio erant apud Aegyptios, quæ in adytis dabantur lectissimis quibusuis, non hominibus de triuio, Astrologia verò abiecta, circumforanea, & vulgaris apud eos erat.* Imò Platonem ipsum, Eudoxum, cæterosque Græciæ philosophos ad huiusmodi sacras disciplinas in Adytis traditas, percipiendas data opera in Aegyptum profectos fuisse Laërtius tradit; ab ijs tamen, qui sacris præerant, Sacerdotibus, tenacissimo Silentio adstrictis, vix quicquam, nisi multorum annorum spacio, & precibus extorquere potuerunt. Quod si de publico aliquo Regni aut Vrbis negotio Numina consulenda forent, aut peculiare quidpiam à Dæmonibus petendum, aut simulacra in Oraculorum vsum consecranda; tum dictis præmissis paulò ante cæremonijs, Sacerdos, qui teste Apuleio, in Apolog. ritè callere cæremoniarum leges, fas sacrorum dicere ius religionum nosse debebat; & vt Libanius declamatione 43. Ἐπίσταται τοὺς Θεοὺς, καὶ ἐκείνων ἀπόῤῥητα καὶ τίσι χαίρουσι, καὶ τίσιν ἕλκονται, καὶ τί λαβόντες ἀντιδοῖεν ἄν. *Scire Deos, eorumque arcana, & quibus gaudeant, quibus trahantur, & quid capientes reddant.* Primo enim horrido murmure, imperiosisque verbis, teste Luciano Sacerdos, Deos superos, manesque torquet, mox ære circumdatur carmen, tum horrentibus verbis vrna opertanea

præ-

præcluditur, ter nouies Carmen magico demurmurat ore. Imò non solùm magico murmure Numina sollicitabant, sed certas patellas præparatas habebant, à quibus figuræ eorum quæ coniurabant Numinum incisa spectabantur nomina; cuiusmodi nuper mihi eximius Statuarius Iosephus Orpheus ex suo Museo curiosis antiquitatibus conserto, depromptum communicauit; quod quia mirificè ad veritatem dictorum confirmandam facit, hic apponendum duxi.



Vides in Lapide Ophite primò incisos 3 Accipitres; deindè 3. circulos, & postea 3. sphynges Leoninæ formæ, sequitur postea coniuratio Numinum paucis in Aegyptiaca lingua verbis prolata; Quorum intellectum pari breuitate expono. Per 3. Accipitres, triplex 3. Mundorum intelligibilis, seu Archetypi, Siderei, & Hylæi triplex Osiris; per 3. circulos suæ dispositionis ordine, diuinitatis nota conspicuos; per 3. Sphynges, triplex triplicis Mundi Momphta significatur; & vt Osiris accipitrinus mundani caloris Author est; ita humidæ Momphta. Ex quorum iusta attemperatione, vti omnia quæ in triplici Naturæ gradu spectantur, nasci; ita quoque ex eorundem discrasia seu intemperie, sterilitatem causari necesse est, ad quam aduertendam, huiusmodi patellam veluti amuletum in statuæ Momphtæ capite ponebant, addito etiam ad id, quod prætenderent obtinendum magico murmure, seu adiuratione. Verba ex Aegyptiaca lingua seu Copta à me translata ita sonant. Expositio schematis.

ⲟ̀ϭⲁⲛⲉⲥⲁⲟ. ⲟ ϭⲁⲛⲉⲑ. ⲟϭⲁⲛⲉⲑ. ⲟ̀ⲙⲱⲫϯ. ⲟ ⲙⲱⲫϯ. ⲟ̀ ⲙⲱⲫϯ.

ⲀⲚⲞⲬⲤⲞⲢⲪ ⲞⲨⲦⲞ ⲞⲨⲨⲒⲤⲢⲰ

Θ, Θ, Θ, Φ, Φ, Φ, ⲑⲱⲟⲩⲧ

ⲫⲑⲗⲁ̀ⲝⲟⲛ ⲫⲁⲗⲁⲝⲟⲛ ⲫⲑⲗⲁⲝⲟⲛ ⲡⲓⲥⲕⲏⲡⲧⲣⲟⲛ ⲛⲧⲉⲁⲑⲛⲁⲓⲥ ⲑⲱⲟⲩⲧ

Id est *O ter potens diuine Osiris, Osiris, Osiris. Mophta Mophta Mophta, adiuro te per hoc signum, Thoth, Thoth, Thoth, id est Mercurij, qui est trium fauissarum siue cisternarum sacrarum custos; custos, custos, triplici sceptro dominationis tuæ potens.* Verum & hoc cum magna adiurationis differentia, neque enim semper minis, aut verborum portentosorum prolatione vtebantur. Cum enim supremo Numini, choroque supremarum potentiarum supplicabant, id non nisi Hym- ⲑⲱⲟⲩⲧ ⲫⲑⲗⲁⲝ ⲫⲑⲗⲁⲝ ⲫⲑⲗⲁⲝ

Hymnis, Canticis, Sacrificijs, & præuia animi corporisque ab omni terrenæ contagionis fœculentia soluti, dispositione & expiatione efficiebant; quo quidem nihil aliud nisi Theomorphosin, id est, in Deum transformationem intendebant, quam vbi adepti fuerant, iam Deorum consortio digni, nullam adeò magnam potentiam esse arbitrabantur, cui non imperare, eamque sui iuris facere possent. Minis tamen vtebantur in genus quoddam Dæmonum inferioris ordinis, quod imperiosis minacibusque verbis ad id, quod volebant, cogebant: ita Iamblichus. Verba eius sunt: *Narrat Porphyrius, Sacerdotes consueuisse, violentis quibusdam minis aduersum superos vti.* Minæ hæ ferè erant: *Nisi vos ita feceritis; vel contrà, si feceritis aliquid, Cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum diuulgabo, aut sistam Barin, id est, nauim quandam apud Aegyptios sacram, aut membra Osiridis Typhoni dispergam, cæteraque similia.*

Dæmones quæ tolerare nequeant

Sciendum itaque est, in Mundo iuxta hieroglyphicam Sacerdotum doctrinam genus quoddam potestatum inferiorum esse, quod homines, per continuum sacrorum exercitium in Diuinam quandam naturam transformatos reuereatur, timeat, eorumque verbis imperiosis obstupefactum obtemperet; non humana quidem virtute, sed, vti ipsi putant, diuina Sacramentorum ineffabilium potestate. Nam, vt Iamblichus dicit [cum Sacerdos huiusmodi in superiorum Deorum ordine constituatur, ideò grandioribus propria natura mandatis vtitur atque minis: neque tamen tanquam facturus, quæ tunc asseuerat, sed declarans quantam nactus fuerit potestatem propter ipsam ad Deos vnionem, ex notitia & ineffabilium symbolorum signaculorumque possessione.] Aliam rationem quoque Iamblichus notat, obedientiæ Dæmonum ad minaces Sacerdotum voces: [Sunt enim nonnulli Dæmones in prouincias Mundique partes diuisi, singulique ad continuam rerum suæ fidei commissarum custodiam destinati, qui quidem tantam rerum sibi commendatarum curam habent, vt nec verbum quidem illius Ordini dispensationique contrarium valeant tolerare; non aliam ob causam, nisi quòd Deorum ordo constanti & inconcussa necessitatis lege omnis mutationis experte in ijs perseueret, quam illi pari Mundanorum perseuerantia obnixè custodiant. Itaque Dæmones huiusmodi circumterranei, vti in fidei suæ commissis rebus viuerent, & ex ijs esse suum traherent, ita eas ipsas res tantoperè sibi cognatas & amicas similibus minarum tormentis, vt inuadantur, non permittunt, imò nec eas audire possunt, eò quod ordinem, atque adeò totius Vniuersi dispositionem potissimum ijs sub mysterijs contineri intelligant, quæ sunt ipsa Numina allegoricè per verba indicata.] Quandò igitur dicunt, Cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum diuulgabo, aut sistam Barim, aut Osiridis membra Typhoni dispergam, cum id ordini totius repugnet, consequenter Ordini custodum contrarium sit; hinc perturbantur, & nè similia

Sacerdos Deiformis quantum possit.

Dæmones cur obediãt.

amplius

ampliùs moueant, voluntati eorum condeſcendunt; nam non alia de causa Mundi partes in ordine permanent, niſi quia benefica Oſiridis poteſtas ſincera & intacta, nullo contrario tumultu & errore miſceri, & confundi poteſt; vita inſuper omnium pura ſemper & incorrupta perſiſtit, eò quod viuificis harmonieiſque rationibus, quæ in Iſide reconditæ ſunt, totus Mundus ſempiterna lege perſiſtat; quis enim curſus Solis & Lunæ cohibeat? quis abyſſos aperiat? quis baſin, id eſt, vehiculum Mundanarum rationum retardet? Ne itaque Natura immutetur, ſortemque contrariam ſubeat, hinc verbis minacibus ea profanari nolunt, quæ ſempiternorum Deorum munere, perpetuæ inſtabilitatis omnis contrarietatis expertem ſortem nacta ſunt. Atque hæc ex mente Aegyptiorum dicta ſufficiant. Quid Myſtæ per minaces voces ſignificarent.

In adytis itaque pro diuerſa Numinum conditione, diuerſos ritus & cæremonias obibant, quæ omnia pulchrè ex fruſto quodam marmoris albi hieroglyphico, quod non ita pridem mihi tranſmiſit interpretandum Eruditiſſimus Vir Thomas Henſchau Anglus. Lapis albus eſt, marmore longè mollior, haud dubiè ex ſubterraneis Aegypti cryptis, vbi vt plurimùm in huiuſmodi lapidibus mollioribus hieroglyphica inſculpi ſolebant, veluti ab omni aëris iniuria ritè munitis. Altitudo lapidis eſt pedum trium minùs vno pollice; latitudo pedis vnius pollicum 2. & 3. quarta 3. craſſicies circa 4. pollicum, cum vna quarta. Figuræ ſuperiores altæ ſunt ped. 1. poll. 5. inferiores verò poll. 8. ſingulæ continentes ſpacia poll. 2. Spacium quod infrà figuris vacuum eſt, continet pedem vnum, iuxta menſuram Anglicam. Lapis in vertice curuatus eſt, & referre videtur cum reliquo continente adytum, in quo globum alatum in vertice vides ſignatum litera D. infra quem varij minuti characteres hieroglyphici (qui tamen temporis iniuria corroſi, quid referant cognoſci non poteſt) parietibus inſculpti, infra quos figura hominis nudi A, cidari Aegyptiaca redimiti, ſedentis habitu conſpicitur; & dextra manu flagellum, altera baculum continet, à cuius tergo B, ſimulacrum fœmineum ſe ſiſtit, veſte linea ad talos vſque inuolutum, cuius in capite velo & tænijs ornato globus ſerpentifer emergit; à figura A, aliquid veluti ſollicitè quærens; ex altera verò parte figura C ſpectatur, ex parte ſuperiori ab vmbilico vſque ad verticem nuda, virili habitu, brachijs extenſis, eorumque digitis in ſerpentes veluti degenerantibus; Inter figuram A & C, ara poſita eſt, vaſe turbinato & binis globulis inſtructa. Quæ quid indicent expono. Globus alatus ſupremi Numinis omnia peruadentis prouidentiam ſignat. Figura A, Oſirin notat, Numen Solare & ἀποτρόπαιον; quod flagellum, ſceptrum, habitus ſedentis & cydaris, quæ ſunt dominij & poteſtatis ſupremæ ſymbola, ſatis oſtendunt: Nudus fingitur; quia Numen ab omni terrenæ contagionis miſcella immune eſſe debet, cui Iſis B, coniungitur, indiuidua Oſiris comes Luna, vti globus ſerpentifer capiti inſiſtens cornua Lunæ facie adornatus, & velum tæniæque do-

Myſtæ in Adyto ſacrificantes.

Expoſitio ſymbolorum



docent: inuoluta eſt veſte linea, ad naturam eius inueſtigatu difficilem indicandam; brachio eleuato, mandata Oſiridis depoſcere videtur, prompta ad exequendum, quod iuſſerit. Figura C ſacrificulum ſeu Hierophantam notat, qui Oſiridem adiurat: nudus eſt, ad ſignificandum, neminem Deorum conſortio aptum eſſe, qui non animum ſuum priùs ab omni humanarum rerum contagione abſtraxerit: brachia eleuata habet, ad deprecandum compoſita; digitis in neſcio quid ſerpentibus ſimile abeuntibus, quo ſymbolo ſanè appoſitè notant, operationes Sacerdotum vita & ſpiritu plenas eſſe debere, vt Deorum muneribus participes fiant: Caluus eſt, quia capilli corporearum fœcum excrementa ſunt, & latibula animalium, à quibus expurgatus eſſe debet ſacrorum myſta & Hierophanta Deorum conſors. Menſa vaſis inſtructa indicat, ſine ritibus & cœremonijs omnem Deorum attractionem & demulſionem irritam & euanidam eſſe; hæc enim ſunt Deorum irritamenta, quibus præuia vatum diſpoſitione accedente, tandem votorum ſuorum compotes fiunt. Hieroglyphica verò ſchemata infra triplici ordine diſtincta ſignificant eas res, quibus adhibitis, Numina amica quadam cognatione attra-



attrahunt in rerum fidei ſuæ commiſſarum tutelam, cuiuſmodi ſunt vegetabilium conſeruatio, Vrbium protectio, contrariarumque poteſtatum ab Aegypto abactio. Huius farinæ quoque eſt præſens ſchema, quod Sacerdotem Momphtæ refert, ſacra Nilo facientem in adytis. Hic comparebat linea veſte indutus, veſtitus pelle Leonis, cuius figura ita adaptabatur corpori, vt figura capitis Leonis cum pedibus, M literam exprimeret, quod tum Momphtæ, tùm aquæ, cui præeſt ſymbolum eſt; dextra gerebat S phialam quod ſupra epariſterium vocauimus. ſuperiùs in formam Tautici characteris effigiatam, ſiniſtra canaliculum Y, cui vas Niloticum impoſitum erat, tenebat; quo de futura incrementi, aut decrementi Nilotici conſtitutione diuinabatur. Quorum quidem expoſitionem conſultò & iuſtis de cauſis hoc loco omittendam exiſtimaui. Quarè hæc de operationibus Sacerdotum in adytis indigitaſſe veriùs, quàm explicaſſe ſufficiat.

Inueniuntur in antiquiſſimis Romanæ Vrbis ruderibus nonnulla ſtatuarum fragmenta, miro hieroglyphicorum ornatu per totum corpus contexta, quas ea de cauſa πολυχαρακτηριστικὰς appellamus; cuiuſmodi duæ in Muſæo meo ab Antiquarijs amicis donatæ reperiuntur. Quæ quid indicauerint, paucis aperiamus. Statuæ poly chara ſteri. ſticæ.

Notandum itaque, Aegyptijs ſimulacra, quibus primæ Claſſis Numina, & quæ immediatè Triformi ſupremo Numini ſubderentur, cæterorum Numinum veluti quoſdam archichoragos exhibebant, extitiſſe. Quæ quidem Numina vti vniuerſalem non intellectualis tantùm, ſed & ſenſibilis Mundi curam ſortiebantur, ita peculiari quoque ſacrarum ſculpturarum cultu exornabantur, vt hoc pacto & Numinum, & rerum mundialium arcana ſymbola, vniuerſali dictorum Numinum intellectui aptius quadrarent. Hinc arcanorum, queis ſymbola tùm ex Obeliſcis, tum ex alijs monumentis deprompta dictorum Numinum ſimulachris eo ingenio incidebant, vt nullus ferè ijs in ſimulachris locus vacuus appareret; quemadmodum ex præſenti ſtatuæ fragmento videre eſt, vbi vides primò

Hæc statua anteriorem partem exhibet.



truncum statuæ, totum hieroglyphicis exornatum: Amuletum verò F ligaculo pectori appensum, est omninò idem cum eo, quod in præcedentibus folijs descripsimus. Figura prætereà pectori incisa, & C litera signata, statua est auerrunca, tutulo polymorpho insignis, ingeniculata, & forma fœminea, quam vtrinque duo stipant Accipitres, versus humeros verò octo Genij Solares ἱερακόμορφοι ordine ponuntur, pantamorphæ Naturæ administri, cui & expansis bracchijs supplicare videntur; quorum expositio hæc est. Simulachrum fuit pantomorphæ Naturæ, cuius principalis ministra figura est pectori incisa & ingeniculata, immediatè inferioris Genialis ordinis choraga, vti tutulus globo ὀφιομόρφῳ & tribus

cucur-

cucurbitis, id est, signaculo triformis Numinis, & fundi paterni, id est, pantamorphæ Naturæ signaculo conspicuo significat. Accipitres E. assidentes Intelligentias Solares eiusdem administras notant. Circulo imponitur, quia in Vniuersum dominium suum exerit; Cui & octo Genij Solares Accipitrino capite transformati, manibus extensis veluti supplicare, eiusque iussa, rerumque fidei suæ commissarum influxuum executionem operiri videntur. Reliqua hieroglyphica tùm quia nota sunt (nihil enim aliud, quàm effectus & operationes dictorum monstrant) tùm quia minutiora sunt, quàm vt dignosci possint, ob magnam corruptionem, quam, vti in huiusmodi ferè omnibus minutioribus characteribus vsu venit, passa sunt, omittenda duxi. Quarè ad ea tantum hieroglyphica maiora, quorum figuræ certò sibi constant, exponenda nos accingamus.

Dorsum statuæ pariter innumeris hieroglyphicis ornatum est, inter quæ medium spacium continet figuras in varias classes diuisas: verùm, cum statua truncata sit, in ea prima & vltima hieroglyphica schemata desunt; medias autem schematum classes signauimus literis A.B. C. D. E. In spacio A. ponitur figura Bouis alati humana facie, cuius capiti flammas euibranti globus imminet, serpentique vndato insistit. Bos humana facie flammas capite euibrans cum globo superposito, indicat Mentem Apidis, vitalis motus per quatuor Mundi stationes propagati præsidem, cuius symbolum serpens est, cuius quatuor gyris, quatuor pedibus insistit; Globus Diuinitatem, flammæ igneam vim, ala velocitatem, qua omnes peruadit Mundi semitas, significant. Quem sequitur paulò post in spacio B. principalis eius minister Cynocephalum Numen, Scarabæum in capite globis intermedium pro tutulo habens, manibus binos serpentes, infra pedes pariter vndulatum serpentem continens, quibus symbolis vita Lunæ-Solaris indicatur, quam in inferioris Mundi portiones distribuit; è regione crocodilus receptaculo inclusus cum phallo oculato, quem sequitur globus serpente foetus cum alio Crocodillo; quo indicatur Typhonia vis, vitalis & fœcundæ propagationis destructrix, quam Cynocephalus vi sua antitechna dissipat & eliminat. Porrò in plano C. sequitur Scarabæus raniformis accipitrino capite conspicuus, pedibus anterioribus tutulum è tribus phialis Niloticis compositum continens, posterioribus pedibus aræ insistens, quo significatur Solaris vis materiali potentiæ, quæ in humida Nili substantia consistit, dominans, quæ per Scarabæum raniformem & tres phialas indicatur; quem Ibis Mercurialis, siue Lunaris Agathodæmon stipite in hieralpham transformato, promouet. Figura verò humana pennam in capite gestans, & manibus bina vase præferens, ei quasi supplicare videtur, ad humidam substantiam virtute sua imbuendam. In plano D. sequuntur Momphtæa Numina Leoninis capitibus transformata, quorum prius Crucem portat, altera manu alteram statuam ingeniculatam, manu capiti eius imposita, veluti

Explicatio prædictæ statuæ.

proce-

Hæc figura exhibet partem posteriorem.



protegere videtur, quæ omnia ſymbola ſunt Momphteæ potentiæ aquæ inferioris Præſidis, & notæ ſunt imperij & dominationis. Figura verò, quæ immediatè ſequitur ingeniculata, calathum in capite geſtans Serpente fœtum, indicat auetuncum Momphtæi Numinis adminiſtrum, quem ponere oportebat ad eas, quæ vitæ bonorumque indè reſultantium vbertati inſidiantur, poteſtates aduerſas reprimendas. Quæ denique in vltimo plano E. continentur, trium Numinum effigies ſunt, Agathodæmonis miniſtri polymorphi Numinis, Anubis & Oſiridis; quæ cùm aliàs ſæpè ſæpiùs expoſitæ ſint, ijs non immoror.

Quæ

Quæ verò è latere ponuntur vtrimque quaterna Numina, omnia anſatis Crucibus inſtructa & miris modis transformata, hucuſque dictorum Numinum adminiſtri ſunt, qui omnia Mundi corpora peruagantes, quæ ad bonum Vniuerſi ſunt, exequuntur, omnibus aduerſis Poteſtatibus profligatis. Verùm cum huiuſmodi figuræ in Menſa Iſiaca fusè expoſitæ ſint, vti & in alijs Obeliſcis, tempus perdam, ſi ijs diutiùs inhæſero.

Ex his itaque patet, ſimulachrum hoc præſens totum hieroglyphiphicis, ex omnibus naturæ ordinibus compoſitis inſcriptum, nihil aliud expreſſiſſe, niſi ſupremum Genialis Mundi Choragum; reliqua verò recenſita Numina eius adminiſtratores, dicuntur Mundi Duces ſiue Rectores, quia dicto Archichorago ſubſtant, & ad imperium eius mouentur. Quæ omnia pulchrè ſanè deſcribuntur à Pſello in Zoroaſtræorum Oraculorum expoſitione his verbis: Δυνάμεις ἐν τῷ κόσμῳ οἱ Χαλδαῖοι, τίθεντες, καὶ ὀνόμασιν αὐτὰς κοσμαγωγούς, εἰς τὸν κόσμον ἄγουσι τοῖς προνοητικαῖς κινήσεσι. Ταύτας οὖν τὰς δυνάμεις συνοχέας καλοῦσι τὰ λόγια καὶ τὸν πάντα κόσμον συνέχουσι, καὶ τῷ παντάρχῳ ὑπείκειν. *Chaldai poſuerunt Potentias in Mundo, quas nominarunt Mundi Duces & Rectores, quod Mundum motibus cum prouidendi cura regant; quas Potentias Oraculorum ſuſtentatores vocant, eò quod Mundum vniuerſum ſuſtineant, & hæ ſubduntur imperio ſupremi Ducis, quem Pantarchum vocant.* Stant, quia vt Pſellus ait; *Immobili videlicet ſtatione illarum vis firma & ſtabilis declaratur.* Τῷ δὲ ἀσυγχύτῳ τῷ φρουρητικῆς. *Suſtentatione verò cuſtodia atque conſeruationis cura.* Ταύτας δὲ τὰς δυνάμεις διὰ μόνης τῆς κόσμων αἰτίας καὶ ἀκλινεῖς ὁρίζονται. *Iſtas autem Poteſtates per ſolas Mundorum cauſas & immobilitatem deſignant.* His enim vti ſubſunt omnes inferiores Dæmones, ita veluti ipſis ſupplicare videntur, ab ijs benignas imperiorum executiones depoſcentes, vti figuræ vltimæ poſt quatuor hinc indè Coſmogogos, genibus inclinatis luculenter demonſtrant. Nam vt rectè Pſellus in Libello de Dœmonibus, ſicut ſeſe habet Princeps in Regno ſuo ad officiales ſuos, ita Numina maiora ad ſibi ſubditos Dœmones. Hoc itaque ſimulacro ab Aegyptijs poſito & rectè culto, omnem ſibi fœlicitatem, ob infandorum ſymbolorum poteſtatem & efficaciam ſpondebant. Hieroglyphica minora, cùm, vt dixi, vix diſcernantur, non explico, cùm nihil aliud, quàm effectus & operationes dictorum Numinum contineant. Quarè hæc pauca de ſtatutis polymorphis ſufficiant, vt Lector curioſus ex huius vnius expoſitione, quid de ſimilibus ſtatuendum ſit, facilè iudicet. Miſit non ita pridem celeberrimus Philoſophus & Iureconſultus Ouidius Montalbanus, Bononia ad me Hieroglyphicum fragmentum ex ſimili Iſiaca ſtatua decerpta, cuius ſibi ſenſum exponi obnixè poſtulabat; & quoniam nefas eſſe rebar amico tanti apud me ponderis quicquam negare; ſtatim eius me interpretationi applicui, & quod præſtiti, id hoc loco opportunè candido Lectori vna cum literis & euoluta interpretatione, communicandum duxi.

Pſellus in oraculis.

Pſellus.

Frag-

Fragmenti hieroglyphici Interpretatio.

Ad Doctissimum Eruditissimum D. Ouidium Montalbanum Phil. & I. C. Ath. Kircherus.

Quod ad me misisti hieroglyphicorum schema, eà qua potero breuitate tibi exponam. Fuit hoc Fragmentum decisum ex statuæ Isiacæ postica parte, cuiusmodi in nostro Oedipo multa spectantur huic prorsus conformia ante, retro, & à lateribus sacris sculpturis referta, quæ quidem more nostro legi non possunt; sed sunt magica quædam syntagmata ex Mercurij, vti Aegyptij loquuntur, columnis, id est, Obeliscis, veluti primordialis sapientiæ prototypis deprompta; neque historia, aut gesta Regum continent, vt nonnulli perperam censent; sed sunt notæ sacræ iuxta analogiam quandam Deorum ad Mundi superioris, inferiorique ordines, facultatesque constitutæ tantæ efficaciæ, vt nihil non ijs simulacris iuxtà intentam ab ijs analogiam incisis, impetrare se posse sibi superstitiosiùs persuaderent; creduntur que exorcismi quidam ad Numina characterum similitudine attrahenda, & ad fauores, gratiasque quascunque ab ijs obtinendas potentissimi, sed iam præsentis fragmenti hierogrammatismos, quantum eius corruptio permittet, paucis exponamus.

De Obeliscis quæ columna Mercurij dicebantur arcana scribentur.

Explicatio Terminorum.

Sceptrum apud Aegyptios significat potentiam, & dominium. Brachium extensum cum manu extensa liberalitatem significat Deorum. Brachium verò in cuius manu Capreolus vitis existat, significat beneficam vim Deorum in natura vegetabili. 3 significat amuletum quod contra Typhonicam vim gestabant, 6 significat aduersorum siue Numinum ἀντιτεχνῶν luctam oppositione sceptrorum expressam. 5. Accipiter significat Osirin Solare Numen 6 significat piscinam sacram, supra quam Sacerdotes in adytis sacra faciebant. 8 per oculum omni, videntis Numinis exprimebant notitiam. 7 Serpens vitæ symbolum apud eos erat. Serpens cornutus, calorem per radios, quo omia in Mundo conseruantur, fouenturque, 10 Cœlestia; 11 Solem; 12 superiora & inferiora notabant. Accipiter cui ☉ superimpositus, Solare, vt dixi, Numen notat. 13 Vas signat Niloticum, cuius Magnus erat in sacris vsus. 14 Triangulum rectangulum, vim significat geneticam in Mundo inferiori, 15 est symbolum fluentis aquæ, vndè & hydroschema id appellauimus. III. limites à Natura constituti; penna notat velocitatem Numinum in operando, 15 corona triplici radiodistincta, in triplicem Mundum supremum,

Numeri hi respondent numeris in columnis expressis.



In hisce figuris incidẽdis sculptorem non nihil ab errasse, quare Lectorem ad Obelisci Lateranensis interpretationem remitto, vbi omnes perfectè reperiet incisas

I.

1 Sceptrum.
2 Brachio cum Capreolo vitis.
3 Amuletum.
4 Sceptra opposita
5 Accipiter.
6 Piscina sacra.
7 Serpens vitæ signum.
8 Oculus.
9 Serpẽs cornutus.
10 Cœlestia.
11 Mundus.
12 Ibis.
13 Vas Niloticum.
14 Triangulum rectangulum.
15 Hydroschema.

II.

1 Tres termini
2 cum penna.
3 Hydroschema.
4 Duo segmenta.
5 Corona.
6 Penna.
7 Tres termini.
8 Circulus.
9 Segmentum.
10 Laqueus.
11 Caput Canis.
12 Hydroschema.
13 Serpens.
14 Quadrangulum.
15 Penna.
16 Oculus.
17 Laqueus.

III.

1 Sceptrũ oculo insignitum.
2 Symbolũ Piscinæ sacræ cũ duob. annexis pedibus.
3 Brachium Capreolo vitis instructum.
4 Calathus.
5 Figura altaris.
6 Segmentum superius.
7 Accipiter.
8 Sceptrum oculo instructum.
9 Serpens.

IV.

1 Brachium cũ Capreolo instructum
2 Scutica.
3 Canalis sacræ piscinæ.
4 Sceptrum.
5 Brachium cũ manu extensa.
6 Hydroschema

Corresponsus numerorum cum hieroglyphicis

P mum,

mum, & infimum, Numinis regimen. Caput Canis 11 notat vim Mercurialem in humidum, 14 Horapollinis agros, siuè arouran. 10 laqueus Kyrologicon est, & malignorum Geniorum insidias notat. Sceptrum oculo instructum notat dominium prouidum in Mundo. 2 notat occultum motum Osiridis in sacra piscina. 2 scutica in manibus simulacrorum passim conspicua signat id, quo Typhonia vis propulsari dicebatur. Cætera iam exposita sunt. Quorum abditas significationes authoritate approbatas videat Lector in Obelisco Pamphilio, & Oedipo Aegyptiaco.

Lectio Idealis ita instituitur.

Col. I. Dominatiua, & beneficia vis Isidis, assumpto sacro periammate contra Typhoniam vim adsit. Adsit & sacri Osiridis in piscinam sacram influxus, cuius prouidentia, & vita, & calor cœlestis concedatur; Est enim cœlestis Osiris vis magna ad generationes promouendas tùm per humidum Nili, tum per aquarum affluxum.

Col. II. Vitam aquarum inferiorum influat sacra Isis; triplicis regni dominator Hemphta in agris caloris intemperiem in inferioribus liget, & cohibeat; Mercurialis facultas humidum temperet; & vita agris prouidentiâ Osiris, ligata Typhonia vi, concedetur.

Col. III. Dominatrix Numinis prouidentia, per occultum, & insensibilem motum piscinam sacram, benefica vi imbuat ad rerum desideratam abundantiam, cultu tamen prævio, hoc enim attracta Osiridis prouidentia, vitâ vegetabilis naturæ vterus fœcundabitur.

Col. IV. Liberalis, & beneficia vis Numinis Typhoniam vim, id est Geniorum aduersorum potentiam arcebit à canalibus sacris, benefica sua dominatrice virtute in humidum.

D Statuis, quas Apotropæas seu Mesitas vocant

1. Statua Farnesiana.

OCcurrunt complures Numinum Aegyptiorum statuæ; quas Mesitas, id est mediatrices vocant; & hanc ob causam ita appellantur, quod supremo Numinum ordini substarent, atque essent veluti quidam Mediatores inter superiora & inferiora Numina & Mystas; quæ ritibus & cerimonijs à Sacerdotibus sollicitata, à supremis Numinibus, quicquid desiderarent, obtinere posse putabantur: Meminit horum Chrysippus in libro de Antro Mythræ. τὰ τεῖχη τοῦ σπηλαίου παντοποικίλοις εἰκόσι κοσμούμενα καὶ τὰ τῶν Θεῶν, οὓς καλοῦσι μεσίτας, ἀγάλματα ἀφιδρυμένα: *Muri speluncæ omnigenis imaginibus*

nibus ornati, & Deorum Mesitum, quos mediatores vocant, simulacra circumstantia. Suntque iterum in varias classes diuisæ, nonnulli ingeniculatæ, vt sequentes ferè omnes, aliæ sedentes, Deorum supremorum imagines ante se positas tenent eiusmodi figuris omnes fere Obelisci referti spectantur; hæ enim ex Obeliscis veluti ex prototypis depromptæ, & seorsim appropriatis lapidibus in indola effictis incisæ; adytis, delubris, ædibus priuatis, passim auerruncationis malorum causa, partim ad sollicitanda superiora Numina, ad id quod peterent, obtinendum, solemni ritu ponebantur; atque hoc pacto ad fauores Numinum consequendos, maxima virtute & efficacia pollere credebant. Talis spectatur hic Romæ



in palatio Farnesiorum; & est, simulacrum ingeniculatum formâ fæmineâ, quod ante se gestat aliud simulacrum Numinis turbinatum habitum præseferens manu sceptrum tenet, Capite cidari in cucurbitæ formam adaptatâ, cui globus insidet; quem duo serpentes in modum cornuũ effi̇cti, veluti sustinere videntur. Inpostica parte duæ hieroglyphicorum series reperiuntur, quorum significationem si quis nosse desideret in adeat III. Oedipi tomum, eamque folio 469. Lectori patefactam inueniet.

Statua Mesitica Romæ in Palatio Farnesiorū.

Simulacrum Hieroglyphicum, quod in Oppidi Arignani foro exhibetur, & vnum ex ijs est, quas Apotropæas, siue Auerruncas, aut etiam Mesitas siue Genios mediatores vocant.

EST Orignanum siue Arignanum, quam nonnulli Aram Iani quoque interpretantur, oppidum vetustissimum ad radices montis Soractæ situm 24. millibus passuum Roma dissitum, in cuius foro statua cernitur ex phario lapide, quam Basalten quoque vocant, elaborata, situ ingeniculata, quoad situm Farnesianæ, si pauca excipias, haud absimilis; si

Idolum Mesiticum Arignani.

caput ei ademptum iunxeris, 5. aut 6. palmorum altitudinis; vitio temporis, in multis partibus mutilata; Statuam quadrangulo insertam manibus tenet; duabus à lateribus stipata ieunculis capite mutilis, in antica, postica, à dextra & sinistra copiosam hieroglyphicorum congeriem, in complures columnas digestam exhibet. Vti ex infra quadripartito, schematismo patet. Nota Lector, caput huius Statuæ, quod deest, prorsus simile esse debere Farnesianæ statuæ capiti, vti ex alijs similibus patet.

Hoc simulacrum hieroglyphicum primus obseruauit & manifestauit Fabius Chisius Episcopus olim Neritonensis modò Pont. Max.

Hoc Aegyptiacum monumentum, Orbi Literario primus detexit olim magnus ille Fabius Chisius, dum hoc oppidum transiens, Nuntij Apostolici functurus munere in Germaniam abiret; quique modo ALEXANDER Diuina Prouidentia Papa VII. Christi in Terris vices agit; hic, vti ad recondita antiquitatum monumenta eruderanda, cæterarumque grandium rerum molimina prosequenda animum semper intentum habuit; ita quoque de dicto iam monumento certior factus, id extemplò adijt, atque accurata inspectione examinatum, ea, quà pollet ingenij sagacitate, & solertia adeò dextre describsit, vt vel ex hoc capite, qualis quandoque futurus, quantum Vrbi & Orbi profuturus esset, limatissimi iudicij sui in rebus decidendis acrimonia, & vigore ostenderet. Verum vt Lector ita sese rem habere cognoscat, hic Epistolam, in qua de dicto simulacro breuibus quidem, at rerum dijudicandarum peritia confertis, meam indignam personam, tunc Hieroglyphicis enucleandis insudantem instruere non est dedignatus, vnà cum statua æri incisa hic ad posteritatis memoriam opportunè inferendam censui. Quamuis verò iam olim de statua monitus locum transiens, eam meliori quo licuit modo depinxerim, verum vt quam exactissime illa denuò delinearetur, data opera missus est Iosephus Petruccius promptus ingenio iuuenis Theologiæ Candidatus (cui se Comitem præbuit Illustrissimus Philippus Mutius Abbas cuius familiæ Arignanum paret) qui solita diligentia, eam vti in sequenti figura patet, vna cum omnibus hieroglyphicis quàm exactissime delineauit. Sequitur Epistola.

Admodum R. P. Athanasio Kirchero Soc. IESV.
Fabius Episcopus Neritonensis S. P. D.

Discessi Roma die XVI. *peruenique sub noctem ad Rignani oppidum, quod est sub ditione Excellentiss. Principis Burghesij (modo Ducis Muti)* XXIII. *ab Vrbe lapide. Inueni ibidem signum perantiquum, licet non integrum, hominis sedentis, è lapide nigro, ni fallor, sustinentisque duas paruulas figuras, & circumquaque arcanis distinctum notis, quales tu, eruditissime vir, rimaris & conspicis in vnaquaque Pyramidum. Opus ego iudico Aegyptium, & multa eruditione refertum; ideò volui indicare tibi, vt accedas aliquando ad locum, & vberem inde copiam haurias doctissima volumina, quæ moliris, exornandi. Cluenti die* 19. *Iunij* 1639.

Expo-



Huiusmodi caput Statuæ fuiße impositum ex alijs similibus statuis colligitur.
Statua Ægyptia in foro Oppidi Arignani uisenda, sub quadruplici situ, antico, postico, dextro, sinistro expreßa.

Expoſitio Tabulæ.

HAnc ſtatuam vti vides quadruplici ſitu exhibemus; ita vt dextrum latus A, lateralem ſimulacri proſpectum; D. ſiniſtrum latus, ſiniſtrum proſpectum vnà cum hieroglyphicis; B. faciem anteriorem; poſteriorem C exhibeat. In dextro & ſiniſtro latere, ſimulacrum ingeniculatum cernitur vnà cum abaco, quem manibus tenet, Deorum imaginibus inſignito. Anterior pars Abacum continet 3. vti dixi, Deorum imaginibus ſub ſedentium habitu prænotatum. Quorum media, miro modo transformata eſt, caput ſub facie humana tutulo pennaceo, ſerpentifero, necnon arietinis cornibus inſtruitur; tæniæ vero vtrinque dependentes, ſacri veli limbi ſunt. Cætera totum ſimulacrum nudum eſt; habet & ſibi aſſiſtentes 2. Genios nudos, capite & pedibus edacitate temporis mutilatos. Latera claudunt duæ columnæ hieroglyphicis conſertæ, vti & abacus quibus inſiſtunt 3. dicta ſimulacra. Poſterior pars C, præter ſeptenas columnas, hieroglyphicis literis conſertas nil aliud continet. Expoſita ſimulacri totius forma, iam quid myſterioſus hic apparatus ſibi velit aperiamus.

Meſitic ſeu Mediatoriæ ſtatuæ Quę? Diximus in præcedentibus, Aegyptios Hierophantas ſtatuas quaſdam adornaſſe, quas Meſitas, id eſt mediatorum Numinum ſimulacra dicebant. Erant autem ſtatuæ Meſitæ, eorum Geniorum ſiue Numinum, quæ immediatè ſupremo Numini ſuberant; quibuſque inferiorum rerum ſiue Hylæi Mundi cura commiſſa erat. Quoniam igitur Myſtis, niſi ingenti & ſollicitudinis plena, tùm animi tùm corporis luſtratione, atque expiatione, necnon ſumma mentis præparatione ſupremo Numini per ſacrificia ſupplicare non licebat; hinc per ſtatuam Meſiticam, ſiue mediatricem, ſupremo Numini id, quod deſiderabant, ſe conſecuturos ſperabaot. Nam vt rectè Damaſcius Platonicus cum de ſubordinatione Numinum loquitur: *Quia ergo à Dijs*, ait, *homines natura gubernantur vniuerſali, & ipſi vitam degunt, natura propria mancipatam, potentijſque naturæ feruntur, ideò cultum exercebant, naturæ conuenientem; corporibuſque naturæ motis congruum; eligentes ad hoc loca, qualitates, aëris materiam, materiæ vires, corpora, corporum qualitates, & habitus, motus conuenientes, mutationeſque eorum, quæ in generatione verſantur, atque ſimilia tùm in cæteris diuini cultus partibus, tum in ritu ſacrificandi. Sacrorum itaque lex ſimilia ſimilibus ritè diſtribuit, & à ſupremis ad ima per media tota progreditur; corporea quidem corporeis adhibens, incorporeis incorporea, propria videlicet, vnicuique Numini tribuens: non oportet itaque ritum religionis eſſe ſimplicem, & ex paucis compoſitum, ſed multiformem, & ex omni harmonia conſtantem, ex cunctis itaque mundanis conſtitutum.*

Damaſcius Platonicus.

Ars Sacerdotia quænam?

Hinc Sacerdotes ſtatuas Meſiticas ita adornabant, vt ſupremum nu-

numen, quibuſcunque modis poſſent, exprimerent; hoc enim pacto & ipſum Numen Geniale Meſiticum, cui ſupplicabant, & ſupremum Numen per hoc ſollicitatum iri certò ſibi perſuadebant. Sed iam hæc propoſito nobis ſimulacro applicemus.

Simulacrum eſt oppido myſterioſo apparatu fabrefactum: primò enim ingeniculatum ſpectatur, non quouis modo, ſed & vnà ſedendi actum exprimit, quo, quamuis ſuperiori ſe ordinis Numini debitam reuerentiam genuflexione præſtare videtur; propria tamen poteſtate & dominio in res fidei & tutelæ ſuæ commiſſas pollere ſedendo demonſtrat; nudo eſt corpore, fæmoralibus ſola verenda tegentibus; queis illud ab omni terrenæ contagionis labe remotum eſſe indigitatur; Ante ſe Abacum tenet quem ſupremo Numini complicatis manibus veluti ſupplicabundum offert.

Quale autem id Numen ſit, cui ſupplicatur; qualia quæ ipſi aſſident, quale illud quod ipſa offert aperiamus. Numen quod illa offert, ingeniculatum eſt, vti diximus, Meſiticum, proxeneticum, ſiue mediatorium ex eorum numero, quæ Hylæi Mundi naturis præſunt, eiuſque executores & Hemphtæi numinis adminiſtratores dicuntur; cuiuſmodi Nephten, Hecatem & Aruerin fuiſſe, varijs in locis aſſeruimus.

Numen cui ſupplicat, eſt illud, quod medium in Abaco locum obtinet ridicula metamorphoſi tranſmutatum, quod Amun Hieromiſtæ vocant, & epithetum eſt ſupremi Numinis, teſte Iamblicho, ſpiritu ſuo igneo omnia peruadentis. Hinc eum varijs ſymbolis expreſſerunt; vti videre eſt in III. Tomo Oedipi Aegypt. Syntag. de ſtatuis Meſiticis, & polycharacteriſticis; hic verò ſub nudi hominis ſedentis ſpecie, cuius caput tùm circulo tutuloque pennaceo omnibus Dijs communi, & inſurgentium in modum aſpidum efformato; tùm arietinis cornibus conſpicuum ſit; eorumq; ſignificatio hæc eſt; Aegyptij, ſupremum Numen, varijs ſymbolis pro varia effectuum, quos in Mundo præſtat, ſignificatione effingebant; nam nunc Scarabæo volante, modo accipitre miro ſymbolorum architectura tutulato, nuncglobo alato ſerpentifero; hic verò arietinis cornibus, conſpicuum exhibebant; quem & Aegyptia lingua Amun, appellabant eique primum in Zodiaco ſignum conſecrarunt; vt proindè ab hoc Iuppiter Hammon originem ſui etymi à Græcis Aegyptiorum ſimijs, traxiſſe videatur; quid verò præſtet hoc Numen Aegyptium, Iamblicus ſcitè exponit: *Secundum verò alium ordinem proponit Hermes Deum Emeph (Hemptha) dijs cæleſtibus tanquam ducem, quem ait intellectum eſſe ſeipſum intelligentem, atque in ſe intelligentias conuertentem; huic anteponit vnum impartibile, primum exemplar, quod Ichton appellat, præter hos autem rerum apparentium opificio alij duces præſunt. Nam opifex intellectus, qui & veritatis Dominus eſt, atque ſapientia, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem Amun Aegyptiaca lingua vocatur, &c.* Ingenioſè itaque hòc indicare voluerunt, Amun fæcundum numen, totius generationis præſidem,

Amon. ⲁⲙⲟⲩⲛ

huius

huius enim cultu, generationum omnium fœcundam propaginem; omniumque ad vitam humanam necessariarum rerum vbertatem & redundantiam sperabant, contra omnes Smyticas & Bebonias, Typhoniasque technas & insidias tuti & securi. Habet & duos asseclas secum hinc inde sedentes; & Trias Ammonia dicitur, quam, vti in præcedentibus relatum fuit, oracula Zoroastræa luculenter sanè exponunt: *Vnum, inquit, principium rerum omnium constituunt, idque & Vnum & bonum concelebrant; deindè paternum quoddam profundum venerantur ex tribus triadibus compositum; Vnaquaque verò trias Patrem habet, potentiam & mentem fidei, veritatis, & amoris.* Distincta quidem numero nomina, reuera tamen vnum & idem Numen est, reuocanturque ad Triadem Osiriacam, vti in interpretatione Tabulæ Bembinæ retulimus, ita vt medio loco sedens sit Osiris bonorum omnium Pater, duæ pueri assidentes, Horus & Helitominus, Plutarcho teste, Osiris filij, quem hic mentem, ille potentiam patris mysticè exprimit. Sed hæc omnia cum quam fusissime in Theologia Hieroglyphica prosecuti sumus, ijs hoc loco non immorabimur: Huic itaque Triadi Ammoniæ supplicat inferioris ordinis Numen, quod & primò varijs sacrificiorum ritibus in adytis ab Hierophantis sollicitabatur, hoc verò sollicitatum, Numen Ammonium cui suberat, pro ijs rebus, quæ desiderabantur, & ipsum sollicitabat; hoc pacto vtrumque mystica symbolorum allusione ad benefaciendum allectum in vota Mystarum tandam attrahi putabatur. Quomodò verò, id fieret; quibus ritibus, cerimonijs, quibus Genijs & Agatho-dæmonibus mediantibus sacra peragerentur, hieroglyphica, quæ tum in columnis lateralibus, tum in antica & postica parte continentur, significant. Vides in dextri lateris columna inscriptionem hieroglyphicam, in qua serpentibus nil frequentiùs occurrit, queis Vitam sibi dari Ammoniam ex superiori Mundo dimanantem; vitam à Solaris regni radijs diffusam; vitam in hylæi Mundi humido consistentem, quæ in sinistri lateris columna, tot repetitis hydroschematis significabantur, Mystæ supplicabant. Et ne quid contra vitale beneficium concessum, Typhonia Antitechnorum potestas & dominium posset; amuletis periaptisque, alijsque instrumentis auerruncatiuis, vti sistris, crepitaculis, cymbalis vtebantur, prout hieroglyphicæ inscriptiones, circumquaque statuæ incisæ, quibus dicta instrumenta inserta spectantur, sat ostendunt; his enim Typhoniæ potestates, ab aquæ elemento, à sacris canalibus, fauissis, seu piscinis, & crateribus Osiriacis, eparisterijsque auerti credebantur: vndè consequenter in hylæo Mundo rerum omnium vbertas, in sidereo astræorum Numinum benignus influxus; in supramundano, fauor & gratia, vnà intellectus Charismatis associata, sperabatur, & in dorso statuæ per hieroglyphicas inscriptiones septemplici columnarum ordine distinctas miro symbolorum contextu indicantur; Quas si ad longum singulas hoc loco exponere voluissem, nouo sane tomo opus fuisset; Quare temporis angustijs præuentus, ijs diutius immorari nolui.

Oraculum Zoroastræ.

Expositio symbolorū.

Serpens vitæ symbolū.

Ritus & cærimoniæ;

SE-

SECTIO IV.

De Fragmentis Hieroglyphicis Obeliſcorum partim ſubterraneis, partim muris Romanorum Aedium inſertis, partim denique necdum erectis, in hunc vſque diem ſuperſtitibus, cæteriſque, quæ poſt vltimam Oedipi editionem ad Authorem miſſa ſunt.

CAPVT I.

De Obeliſcis adhuc proſtratis, & necdum erectis.

CVM Authore P. Victore ex minoribus Obeliſcis, 44. ex Aegypto, ab Imperaroribus præter minores mediocreſque Romam adductos fuiſſe legamus; bodie verò nonniſi 6. partim integri partim vitio temporum ex varijs Vrbis reuolutionibus contaminati adhuc reſtent. Maiores verò partim erecti, partim proſtrati erectionem expectent; nulli dubium eſſe debet, quin magna illorum pars in vaſtis Romanæ Vrbis ruinis adhuc deliteſcant, quemadmodum ſingulis fere annis nonnulla eorum fragmenta, quæ detegi ſolent, teſtantur. Ita forſan ſecuturis quoque temporibus plura luci publicæ patebunt. Vnde operæ precium me facturum exiſtimaui; ſi hoc loco, quinam Obeliſci, & vbinam locorum in Vrbe adhuc ſepulti neglectique reperiri queant, oſtenderem; & vnà Antiquarijs latentium antiquitatum quærendarum, eruendarumque nonnullam occaſionem præberem.

Duos reperio Obeliſcos in Vrbe ex maioribus, proſtratos & necdum erectos; quorum primus eſt, quem BARBERINVM vocamus, eo quod à Franciſco Card. Barberino, ex Verani agri ruderibus erutum in Palatij Montis Quirinalis ornamentum deſtinatus fuerit; vbi adhuc iacet in 3. partes confractus; cuius interpretationem vide in Oedipo. Alter in Horto Ludouiſiano, in Monte Pincio proſtratus & in duas partes confractus cernitur, cuius interpretationem Oedipus continet. Qui duo Obeliſci, magno ſane Vrbi ornamento forent, ſi eſſet, qui eos erigeret. Sed iam ad alios.

CAPVT II.

De Obeliſcis Romæ ſubterraneis; necdum erutis.

§. I.

Obeliſcus Campi Martij.

OBELISCVS hic ſanè ingens, magnitudine Flaminio non cedit, & in hunc vſque diem latet in Campo Martio ad radices Montis Citatorij, ex parte S. Laurentij in Lucina, vbi baſis eius incipit, & reliquam molem extendit vſque ad cellam palatij vulgò dicti *de' Conti*. Qui tametſi totus terra obrutus ſit, per cellas tamen vinarias vicinarum domuum nonnullæ eius adhuc partes cernuntur. Fuit autem hìc à Sothi Rege Heliopoli primùm erectus, quem poſteà Auguſtus indè auulſum Romam tranſuexit, atque vt tam nobilem molem debito honore condecoraret, cum in Campo Martio, ampliſſimo & celeberrimo loco erexit, vt ſicuti à priſcis erectoribus Soli dedicatus putabatur, ita Soli quoque ad horas, quas in dicto loco ſub ampliſſima horologij, æneis lineis conſpicui forma elaborauerat, commoſtrandas, loco gnomonis ſeruiret, cuius vertex à terra 115. palmorum altitudinem, teſte Plinio, erectus, aureoque globo inſignitus ſpectabatur. Verum de origine, erectione, poſtea de ſuo in monſtrandis horis munere, de horologij forma & ratione, de magnitudine & ſymmetria huius Obeliſci, aliiſque cum ampliſſimè in Obeliſco Pamphilio fol. 76. tractauerimus, eò Lectorem remittimus.

Obeliſcus olim à Sothi Rege Aegypti erectus.



Obeliſci Campi martij portio.

§. II.

Obeliſcus in Inſula Tyberina.

POmponius Lætus in ſua Typographia alterius cuiuſdam Obeliſci in Inſula Tyberis erecti, qui loco mali nautici ſeruire videbatur, mentionem facit. Quod verum eſſe, experimentum me docuit; ſiquidem nouis ſemper & nouis Aegyptiaci monumentis detegendis ſummo mentis æſtu agitatus, cum dictæ Inſulæ angulos penè omnes diſcuſſiſſem, tandem exiguum Obeliſci fragmentum, ante Eccle-

ſiam




ſiam S. Bartholomæi, detexi, quod inter alias columnas, quæ data opera ante dictam Baſilicam ad rhedarum Equorumque impetum cohibendum poſitæ ſunt, verſus partem, quæ aditum ad Monaſterium S. Franciſci de obſeruantia præbet, vltimum locum obtinet, & repaguli loco ſeruit. Fuit autem, vti Topographiæ Romanæ authores ſcribunt, in medio Inſulæ Tyberinæ ſeu Aeſculapij, quam natura in figuram nauis adaptauerat, conſtitueratque, vt arboris nauticæ formam exprimeret; quemadmodum & in Circis, qui Mundum referre videbantur, eandem ob cauſam conſtituebantur. Obeliſcus fuit ex eorum Claſſe, qui Minores vocantur, cuiuſmodi ſunt, Mahutæus, Monticælius, Mediceus. Fuiſſe autem fragmentum ex ea parte, quæ proximè contingit pyramidion, auulſum, ipſa hieroglyphica inſcriptio, quam hic apponendam duxi, ſat ſuperque demonſtrat. Vides in hac accipitrem cum cultro intra vngues, cum circulo ſerpentifero ſuprapoſito; deinde piſces duo in contrarium poſiti 3. accipiter vti in primo loco globus ſerpente fœtus, quæ omnia fusè in præcedentibus expoſita ſunt; reſtat, vt piſcium hieroglyphicum hoc loco exponamus; Piſces inter hieroglyphica reperti, ſemper Typhonis malignitatem arguunt. Erat enim piſcis ſymbolum Typhonis Oſiridis Antitechni, ſeu antagoniſtæ; cuius rei rationem hanc fabulæ Aegyptiæ aſſignant; Quod piſcis Oxyrinchus, quem & phagrum & Lepidotum appellant, ab Aegyptis, Plut. teſte, in ſumma ſemper abominatione ſit habitus; eo quod vererrum ſiue Phallum Oſiridis à Typhone in Nilum proiectum deuorauerit; de quo vide Plutarchum lib. de Oſ. & Iſi. dant & aliam cauſam huius abominationis, quod videlicet piſcis cibi genus ſit non neceſſarium, ſed ſuprauacaneum; viuantque in mari ab elementorum finibus excluſo tanquam alienum excrementum correptum, & morboſum; eandemque ob cauſam Nautas & maritimos homines abominentur, tanquam Typhonis aſſeclas; mare ſiquidem Typhonis ſpumam appellant, Vbicunque itaque piſces ponantur, ſemper ij Oſiridis cum Typhone antitechniam notant; hàc enim fœcunditatis Oſiriacæ virtus deſtruebatur; verbo per accipitrem cultro inſtructum piſcibus ſuprapoſitum malorum omnium contra Typhonis inſultus vis apotropæa notabatur.

Piſcium hieroglyphicum exponitur.

§. III.

Obelisci Fragmentum in Area Coll. Romani.



Fragmētum in Coll. Rom.

STabat multorum annorum tempore ante portam posticam Collegij Romani paruum Obelisci fragmentum, donec tandem, veluti publicæ plateæ non leue impedimentum, ab Aedilibus Vrbis sublatum, in Collegium translatum fuit, vbi spectandum proponitur. Fragmentum est sex palmis altum, parallelepipedum, cuius duo tantùm latera inscriptiones hieroglyphicas habent, cæteris duobus edacitate temporis corruptis. Inscriptiones verò tibi exhibemus Lector, in figura A.

§. IV.

Fragmentum Obelisci è regione Ecclesiæ S. Ignatij muro insertum.



PRæsens fragmentum B. videtur è regione Ecclesiæ S. Ignatij, angulari lapidi domus cuiusdam pharmacopæi insertum. Est septem palmis altum, quadrangulum, cuius duo tantùm latera spectantur, hisce hieroglyphicorum schematismis insignitum, reliquis duobus lateribus muri insertis.

§. V.

Obelisci fragmentum inter Coll. Rom. & Palatium Principis Pamphilij muro insertum.

TErtium fragmentum è regione Collegij Romani & Palatij Pamphiliani, in via, quà ad plateam, quæ Cursus dicitur, tenditur, angulari

gulari domus lapidi insertum spectatur, ex quo duo tantùm, vt in priori, latera cernuntur, reliquis duobus lateribus intra murum absconditis. Hieroglyphicæ apparentium laterum inscriptiones, cum paucis & ferè iisdem symbolis constent ea, hic apponendas non censui.

Quæritur itaque hoc loco, vtrùm hæc tria fragmenta vnius Obelisci sint, an diuersorum? Respondeo, diuersorum Obeliscorum esse, quia idipsum luculenter demonstrat, & mensura fragmentorum, & hieroglyphicorum contextus: mensura siquidem nulli ex hisce tribus fragmentis competit, neque aptè committi possunt, fragmentis nunc ex superiori parte angustioribus, nunc in inferiori latioribus; quæ quidem difformitas partium, & in commissione improportio apertè docet, vnius Obelisci fragmenta minimè esse posse. Accedit dispar fragmentorum color, qui pariter indicat vnius Obelisci partes esse non posse. Secundò id ex hieroglyphicorum contextu apparet, qui in singulis dictis fragmentis disparatam rationem habet. Vndè concludo trium diuersorum Obeliscorum hæc fragmenta fuisse. Obeliscos autem ex eorum numero esse, quos minores vocant, Mahutæo, ac Mediceo, quoad magnitudinem æquales, quorum 44. differentis magnitudinis vti paulò ante diximus Romam ex Aegypto delatos Publius Victor testatur. Vbinam verò locorum huiusmodi Obelisci erecti fuerint, paucis accipe. Fragmenta non sunt eiusdem Obelisci.

Constat ex Topographiæ Romanæ Authoribus, vti & in principio libri monuimus eo in loco, vbi modò Templum Beatæ Virginis, quod à Minerua nomen habet, & Celeberrimum Ordinis S. Dominici Cœnobium est, olim Isidis templum constitisse, in quo vti omnis Religionis Aegyptiacæ (veriùs superstitionum) cultus summo feruore exercebatur, ita omnigeno quoque monstrosarum imaginum apparatu id Aegyptiorum more adornabatur; adeò vt posteris temporibus ex nulla Romanæ Vrbis parte tet anta Aegyptiorum simulacrorum copia eruta fuerit, quàm ex hoc loco; quod apertum & luculentum πολυμορφίας Aegyptiacæ, quæ in dicto Templo vigebat, testimonium est. In hoc itaque districtu Isiaco haud dubiè inter cætera Niloticæ Religionis argumenta, & Obelisci quoque erecti fuerint, quorum hæc fragmenta tantummodò supersunt, reliquis vel terra subrutis, vel nouarum fabricarum fundamento iniectis. Lege quæ de hoc Isidis & Serapidis Templo fusè tractant Pomponius Lætus, Boissardus, & P. Alexander Donatus in Topographia Vrbis Romæ, & nos fusè in præcedentibus, qui totum illud spacium, Quod Collegium Romanum & Cœnobium Ordinis S. Dominici vsque ad Pantheon occupat, ad Isidis & Serapidis regionem pertinuisse aiunt, & ingens antiquitatum Aegyptiacarum copia, quæ paucis abhinc annis, ex ruderibus loci effossa est, quarumque non exiguam partem in meo Musæo spectandam exhibeo, luculenter demonstrat. Districtus Isiaci.

Hæc dum scriberem; Ecce eruditus D. Iosephus Vincentius Maraccia Panormitanus, mihi refert, insigne se Obelisci veteris fragmentum

Obelisci Frangmentū in Regione, quam *de la Regola* vocant.



tum detexisse, in Regione Romanæ Vrbis, quam *il Rione della Regola* vocant, in platea Branchiorum, vulgo *nella piazza de'Branchi*; quæ in palatio olim iurisdictioni Cardinalis Caualerij, modo Familiæ Maffeiorum paret, ad quem cum me duxisset, inueni tandem verum esse, quod dixerat, videlicet Obelisci partem haud spernendam, ex lapide omnibus Obeliscis communi, muro angulari insertam; cuius altitudo 10. palmorum, latitudo vna quarta circiter tenebat, quem statim à meo socio designatum, hic Lectori exhibendum duxi. Latera quaterna singula, ijsdem prorsus hieroglyphicis constare deprehendi, prout in præsenti schematismo apparet. Latet & alius inter rudera Mausolæi Augusti, consimilis illi, qui ad S. Mariam Maiorem erectus fuit. Sed rasus vterque sine literatura hieroglyphica. Non dubito, quin successu temporis complures alij hinc inde in celebrioribus Vrbis subterraneis locis detegentur; sed hanc eorum eruendorum curam posteris relinquamus. Sufficiat, nos, ijs, hucusque desideratam hieroglyphicorum notitiam ad eos interpretandos, subministrasse.



Idolum


SIMVLACRVM NEPHTÆ
Ex Ægypto
Authori allatum
H G F E D C B

Idolum Aegyptiacum cultum Nephtæ, ſeu Iſidis Hylææ exprimens.

FOeminæ Iſidis cultrices eodem modo, quo Iſidem veſtitam fuiſſe credebant, ſe induebant, vt hoc pacto ſimiles illi factæ facilius ab ea, quod petebant, obtinerent, videlicet prolis fœcunditatem, in multos annos prouectam ætatem corporis integritati ſociatam, medicinam morbis profligandis aptam, & reliqua humanæ conſeruandæ vitæ neceſſaria ſuſtentamenta, quæ in Operibus noſtris, potiſſimùm in Medicina hieroglyphica vbertim proſecuti ſumus. Atque huius farinæ ſtatua fuit, cuius ectypon non ita pridem mihi attulit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus S. R. I. Comes de Vvaldſtein, indefeſſus bonarum artium promotor, quod ipſe ab Eruditiſſimo Viro Ioanne Vanslebio Germano, Orientalium linguarum notitia illuſtri, ex Aegypto reduce acceperat, hic opportunè inſerendam duxi.

Fuit inuenta hæc ſtatua in Cairo in morat Kehia Ohale, & delineata à ſuprà laudato Ioanne Michaële Vanslebio, cuius interpretationem apponimus. Eſt hoc Idolum Iſidis Hylææ, ſeu quam Nephta vocant myſtico amictu Iſidi proprio indutæ; Caput velo, more ſolito, coopertum habet, ad excrementitias capillorum ſordes, quas Dij oderant, contegendas; pectori amulctum appenſum geſtat, quo contra aduerſarum poteſtatum machinas armari credebatur; in ipſo amuleto ſub varia fluminum forma Mundanorum Numinum influxum exprimunt, eratque magnum contra Bebonias aduerſitates præſidium, vti in Oedipo varijs in locis oſtendimus; Cingulo in formam Crucis adaptato, necnon varijs hieroglyphicis, quæ efficaciam Deæ notabant, inſignito cingitur; deindè nouemplici catenarum mundialium ſerie in Hylæum Regnum protensâ, quibus ipſa ſubſtat, conſpicua adornatur. Huius anſatæ Crucis formam in præcedentibus quoque exhibuimus. Sequitur tandem extremus veſtis limbus hieroglyphicis prænotatus, quæ ſunt A Ibis. B Segmentum cum ara. C Statua Numinis auerrunci. D accipiter. E bos procumbens. F Ibis cum ſerpente. G duo hydroſchemata cum retinaculo myſtico, H cum Mercuriali ſtatua in ibidis roſtrum transformata. Ibis Mercurium refert rerum inuentorem, vti in præcedentibus oſtendimus. Ara cum ſuprapoſito ſegmento Tauri characterem ♉ exprimit. Figura B. Genium auerruncum notat, & flagellum ſeu ſcuticam in manu geſtat, quâ aduerſis poteſtatibus ſe opponere videtur: & in alijs Obeliſcis hoc pacto plerunque depingitur. D accipitrem notat, & occidentis Solis ſymbolum eſt. E figuram refert Bouis procumbentis, qua Oſiris exprimitur hylæus. F Ibis cum ſerpente, refert Mercurium, cuius præſidio liquor tùm ſuperior tùm inferior per G ſignatus viuificatur, per ſacrificia H

Expoſitio figuræ.

Expoſitio ſtatuæ.

Ibifor-

Ibiformis ftatuæ præftanda; Limbus lapidis quibus fimulacrum includebatur, plenus eft hieroglyphicis; quæ tamen ferè paucis exceptis, vti eadem, quæ in limbo veftis iam expofuimus, continet, ita quoque fuperuacaneum effe duxi, ijs exponendis immorari. Quid enim pifcis fymbolum expreflerit, quid baculi incuruati, quid papilio dracontomorphos, quid Ibis, & accipiter, quid hydrofchema, iam in præcedentibus docuimus. Fuit itaque hoc fimulacrum Ifiacum, quod per facrificia folita veneratione cultum, necnon characterum fymbolicorum virtute & efficacia Numina Geniofque auerruncos contra aduerfas poteftates mirificè allici attrahique fuperftitiofus credebant. Sed hæc de Idoli huius hieroglyphici fignificatione fufficiant. Qui fingulorum interpretationem fufiorem defiderat, ei vt Oedipum Aegyptiacum; & Artem noftram hieroglyphicam, quam fecundæ Oedipi editioni, Deo dante referuauimus, adeat confulam, vbi omnia nouo artificio combinata reperiet.


ANTERIOR PARS
Hic deleti sunt characteres
Reliqua deleta sunt


POSTERIOR PARS
Deletum.
Deletum.
Deletum.
Basis
figuræ
In basi ad tergum

Explicatio Idoli Aegyptiaci Barcinone inuenti.

IAm lustrum ferè agitur, cum in manus meas incidit Ectypon Idoli cuiusdam Aegyptiaci, quod Barcinone inter rudera inuentum ad me misit P. Ioseph Zaragoza Soc. Iesu SS. Theologiæ professor; cuius mysteriosam structuram hoc loco opportunè inferendam duxi. Idolum tàm antica quàm postica parte hieroglyphicis notis conferta spectatur 8. circiter palmos alta; caput velo, præcedentibus omnibus idolis communi coopertum habet. mirum sedentis in basi quadrata situm exprimit, oculis clausis, manibusque in decussim dispositis, dormire videtur; Intra sinum caput tenet alatum, seu aliforme sacro velo tectum, necnon turrito vertice conspicuum; Limbi, quibus circumdatur hieroglyphicis notis conserti sunt. Posterior pars, præter hieroglyphicas inscriptiones à dextris & sinistris, vti vides nil aliud demonstrat.

Quodnam verò huiusmodi simulacrum fuerit, quid signauerit exponam. Simulacrum itaque hoc nil aliud innuit, nisi Hecatem Aegyptiam, quam alij cum Proserpina Græcorum; alij cum Isi subterranea, quicquid sit; omnia huiusmodi nomina in vnum coincidunt; vnamque subterraneæ oëconomiæ præsidem notant. Sedet, Momphtæ characterem M. sessione exprimens; velatum caput, oculique dormientis ad instar clausi, inuisibilem eius naturam signant; quæ tametsi extra omnes corporei sensus limites, longè semota sit, omnibus tam semper & vbique inuigilat immensa virtute sua, omnia in fines suos dirigit, omnia animando conseruandoque suæ fidei commissa; & quod virtute, & potentia sua cuncta inferiora comprehendat, per brachiorum in decussim compositorum ectypon pulchrè exprimit. Intra sinum caput pueri velati & Pteromorphon, turritoque vertice superbum continet; & pueri quidem caput Horum, quem nos in præcedentibus cum Plutarcho, Mundum sensibilem exposuimus. In sinu Idoli residet, quia ex supramundanæ mentis sinu prodijt, verus Osiridis & Isidis supramundanæ filius. Caput vittatum habet, quo renascentis quotidie Solis iuuentus exprimitur; aliforme caput, operationum velocitatem, queis in generabilium rerum gubernatione procedit; turrito vertice cernitur, quo eum omnium bonorum felicitatem politico Mundo præstare, scitè indigitatur. Quod vt fieret, Hieromantæ varijs hieroglyphicorum schematismis, modum & rationem docebant; quâ Horus primæ mentis filius, symbolis analogica quadam ratione dispositis, varijsque ritibus & cærimonijs, ad id quod petebant per Hecaten Ampotropæum Numen, omnibus profligatis Typhonijs insidijs, obtinendnm, attrahi allicique posset. Hieroglyphica verò symbola, limbis idoli incisa, cum in Oedipo, atque

Expositio simulacri secundum partes.

Obe-

Obelisco Pamphilio passim exposita sint, eo Lectorem remittimus. Quæ Hieroglyphicis vndique & vndique statuæ inscriptis signantur.

Anacephalæosis eorum quæ in hoc Libro exposita fuerunt.

Longissimam esse viam ad sapientiam, iterque omni difficultatum genere plenissimum satis superque demonstrant labores in ea acquirenda antiquorum assumpti, testantur itinera terra, marique plena periculis suscepta; testantur demum omnium eorum, quæ quouis modo ab eius inquisitione retardare possent, studiosa declinatio. Huius quidem sapientiæ inquisitioni Aegyptios præ cæteris mortalibus impensius incubuisse, Plato tradit in lib. de Rep. Nam cum summi Numinis felicitatem in rerum omnium optimarum, & pulcherrimarum cognitione consistere in primis existimarent, atque ex eo, quod non præsentia tantùm, sed & futura, & præterita intelligit, immortalitatem iure illi tribuerent, ab omnibus, quæ aliquo modo eam impedire possent abstinebant. Nam quicumque mortalium ad diuinitatem anhelant, illos maximè sapientiæ, & veritatis amore raptos, castitatem, rerumque sacrarum cultum ad eam faciliùs adipiscendam amplexari videmus. Id quod Græci omnium comodissimè significarunt, dum Aegyptiorum Deam Isim, quasi scientiam, eiusque hostem Typhonem, id est, ignorantiam mysticè appellarunt. Cuius Deæ sacra, ideò parcitate victus, & ciborum quorumdam abstinentia, cæterarumque voluptatum potissimum Venerearum cohibitione celebrant; quibus omnibus puritas mentis, & acumen ingenij scientiæ causa exquirebatur. Vndè & illius sacrarium Isæum, id est, scientiæ diuersorium appellarunt: & ipsam adeò alij à Mercurio, alij à Prometheo natam dixerunt, quorum alterum sapientia, & prouidentia; alterum Grammaticæ, & Musicæ inuentio illustrauit; laneis quoque vestimentis non amiciebantur, sed lineis induti vestimentis, rasisque capitibus sacra peragebant ab omni impuro, vt sunt pelles, vellera, capilli, vngues, ciborum retrimenta abstinendum: solo lino florem æthereo splendori simillimum proferenti, ex immortali tellure nato, nullisque bestiolis creandis obnoxio, gaudendum. Quin ab omnibus ijs, quæ vel intento sapientiæ studio obesse possent, ita abstinebant, vt ne salem quidem, eo quod ad manducandum, bibendumque appetentiores redderet, adhiberent; ob eamdem causam Nili lympham, eo quod obesiora faciat corpora, non bibebant; satius enim putabant leui, & expedito corpore animum includi, quominus eius diuinitas opprimatur: nam vt rectè sensit Galenus, animus adipe, & sanguine suffocatus cæleste aliquid præuidere non potest. Alludit etiam ad hoc egregium dictum Iarchæ Indorum Regis, & philosophi, quo Apollonium Thyanæum alloquebatur his verbis.

Sapientiæ studio quantum Aegyptij incumberent.

Mysticè quid notent. Nomina Isis & Typhonis

Abstinentia Aegyptiorũ à quibus.

Non

Non equidem miror Apolloni, te omnem diuinandi scientiam adeptum esse, cum tantum in corde tuo aëris geras. Præterea Aegyptij cæremonias multas obſeruabant, quibus philoſophari laudi ſibi ducebant. Quin & Reges ex inſtituto ſacrarum literarum mediocriter admodum bibebant, Auctore Hecatæo, eò quod Sacerdotij dignitate initiati eſſent; præſertim vinum quod nec Dijs quidem (eo quod vinum eorum, qui olim cum Dijs dimicarunt, ſanguinem putarent) tanquam gratum offerebant. A piſcibus quoque plerique veluti triſtitiæ, & malorum ſymbolis, & Nili, mariſque nigri, ac triſtis, elementi miſcellanei, ac omnis impuritatis & ſentinæ notis abſtinebant, cœpas quoque auerſabantur, eo quod appetitum Venereum excitarent, & lacrymas prouocarent, vt Zenophon teſtatur: adde eas illiberali ſuo odore à ſacris cohibitas, atque eadem de cauſa allium guſtantibus introitus in magnæ Matris templum interdictus videtur, vt Athenæus tradit. Sues quoque cùm ob ſalaciam, tùm immunditiem carnis, lepram, pſoramque progenerantis, tùm quia porcis animam pro ſale datam rebantur. Denique ob ſympathiam quamdam, quam cum crocodilo Typhonis ſymbolo habent, deteſtabantur; quibus omnibus innuebant, voracitati, delitijſque, & gulæ irritamentis ſapientiæ ſtudioſum nuntium mittere debere. Tradidit Diodorus columnam à Technate Vvechorei patre Thebis in templo poſitam execrationes habentem contra Menidem Regem, qui primus omnium Aegyptios ab inopi, & frugali victu ad pecuniarum vſum deduxit. Vndè rectè Heſiodus ſtultos homines, quos ſcilicet tranſuerſos agit nimius voluptatis appetitus, ignorare, quanta foret in malua, & aſphodelo vtilitas; teſtati ſunt & hoc Perſarum Magi, qui ad melius philoſophandum omnibus ciborum condimentis ſpretis, ſolo victitabanr naſturcio. Horum itaque admirandum ſapientiæ ſtudium, cum in Græcia percrebuiſſet, Græcorum ſapientiſſimi eius guſtandi allecti deſiderio, Solon videlicet, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & Lycurgus in Aegyptum ad conſuetudinem cum Sacerdotibus contrahendam ſeſe contulerunt. Eudoxus quidem Conophæum Memphiten audiſſe dicitur: Solon Sonchiten Saiten. Pythagoras Oenuphæum Heliopolitem, qui & omnium maximè approbaſſe fertur hominum iſtorum philoſophandi rationem; teſte abdita illa, quam de rebus tradidit, non multum ab hieroglyphicis diſciplinis diſcrepante philoſophia. Quidquid igitur portentorum coluit Aegyptus: quidquid fabularum de Dijs ſuis Oſiride, Iſide, Typhone, Horo, alijſque rradidit, ijs Sacerdotes ſapientiſſimos nequaquam exiſtimandum eſt, vel fidem habuiſſe; aut ſtolida quadam, ac inſipiente perſuaſione (vti plebs faciebat) inductos, ſimulacra veluti Numina quædam adoraſſe; hoc enim quam maximè ab animo ſapiente alienum eſſe, nemo non nouit, ſed magna ijs myſteria, vt in præcedentibus dictum fuit, ſignificaſſe, neque hæc ratione carere, ſed certas cauſas habere, vel hiſtoria, vel natura introductas, ſymbolis iſtis tam multiformibus luculenter con-

A quibus Animalibus & Herbis Aegyptij abſtinebant.

Græci philoſophi Aegyptiorum diſcipuli.

feſſi

fessi sunt. Non enim Mercurium verè canem existimabant, sed custodem, & peruigilem animalis naturam, quæ hospitem ab hoste dijudicat, vt ait Plato per Ficinum relatus, Deorum perspicacissimo tribuunt. Neque Solem putant ex Loto editum nuper infantem, verum ita Solis ortum, & ex humidis eleuationem interpretantur. Quando & sæuissimum Persarum Regem Ochum non solum Parricidam, sed & ipsius Apis, quem sibi, ac socijs in mensam proposuit occisorem, Machæram, vel ad hoc vsque tempus vocant, non hominis proprietatem, sed mores expresserunt instrumento, quod parricidio accommodatum æquiparabant. Cum itaque varij variè de Aegyptijs Dijs loquerentur, eorumque gesta diuersimodè alij quidem ad literam, alij ad mores, alij & ad naturam, nonnulli etiam ad ineffabilia Dei mysteria trahentes interpretarentur; mirum sanè non est, Aegyptiorum historiam adeò variam esse, & diuersam, quam apud Authores deprehendimus; fieri enim nequit, vt opinionum varietas rebus gestis, earumque circumstantijs non vehementer officiat. Ne tamen varietas dicta hieroglyphicorum expositioni nostræ obicem aliquem quouis modo poneret; ideo in hoc vnicum, tùm in hoc præsenti, tùm in reliquis operibus meis hieroglyphicis incubui; vt, si nonnulla, circa sapientiam Aegyptiorum occurreret differentia, illam & intelligi nec posse, nec debere, nisi sub quadruplici sensu, aut literali, aut tropico, allegoricoue, aut analogico, sub quibus vnam & eamdem rem exprimebant.

CON-

CONCLVSIO OPERIS.

HAbes hic Lector beneuole Obelisci Aegyptiaci in Isæi ruderibus, iuxta vetus Mineruæ delubrum, anno præterlapso inuenti expositionem, quam ea qua licuit, diligentia tibi exhibeo; quod quidem, in tantis temporis angustijs præstare non licuisset; Si Oedipus Aegyptiacus obstetricantes mihi in partu tam difficili manus non adhibuisset. Quemadmodum enim iam à 30. annis in euoluendorum Aegypti mysteriorum exercitio distentus, non exiguam, tum ex combinatione rerum, praxin; tum arcanorum hieroglyphicorum notitiam, ex veterum Authorum Græcorum, Latinorum, Arabum, cæterorumque orientalium lectione, Deo aspirante consecutus sum; ita quoque minimè difficile fuit, vel ad primum huius Obelisci intuitum latentium mysteriorum sensus penetrare. Quicquid sit, feci, quod suprema in terra potestas mihi imposuit. Quod si quidpiam in eo laude dignum occurrerit, id diuini Numinis gratiæ & fauori, Patri, inquam, luminum Lector adscribat velim. Sin; ingenij mei imbecillitatem excuset velim, censeatque in rebus huiusmodi arduis, & ab alijs non tactis aliquid vel tentare tantum voluisse, sat esse.

sIt LaVs ChrIsto Deo & VIrgInI MatrI.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

ABstinentia Aegyptiorum à quibus. 143
Accipiter Solaris natura, oculos solari herba purgat, ossa eius aurum trahunt. 33
Accipiter lingua Aegypt. Bai eth dicebatur, & cur. 33
Accipiter apud Plutarchum Deorum interpres. 32
Accipitris volatus quid? 32
Accipitris alia proprietates. 32
Accipitris proprietates analoga soli. 31
Accipiter tutulatus summum in sidereo Mundo potestatem indicat. 30
Accipiter, Osiris bonitatem, aspis seueritatem notat. 51
Adyta Aegyptiorum qua nam fuerint. 97
Adyta Aegyptorum vniuersitatem rerum exprimebant. 97
Aegyptiorum cura in abdendis mysterijs. 85
Aegyptij à quibus animalibus, & herbis abstinebant. 144
Aegyptij per inferiora ascendebant ad superiora. 92
Aegyptij in Obeliscorum erectione repræsentabant Solis, & Lunæ effectus. 21
Aegyptiorum superstitio in Templis extruendis. 16
Allegoria de alis animæ. 86
Amor causa rerum. 89
Amor per omnia diffusus. 91
Amor Magus. 91
Angelus omnia in se complicat, sed modo Angelico. 93
Animæ compositio ex Platone. 70
Animam Solis Accipiter signat qui & Apollini consecratus. 31
Annus magnus Hermeticus quid. 70
Ars Sacerdotia qua nam. 128
Anser quid notet. 72
Aspis & Accipiter dormiens quid. 50
Aspis bonus Damon à Phœnicibus dictus. 35
Aug. Cæsaris studium. 15
Author addit quartum latus nec dum viso Obelisco. 2

B

BAi eth, cor, & animam significat, & quare. 33
Basis quadrata quatuor elementa notat. 20
Bonum Primum, & imparticipatum Deus. 91
Brachium cum Capreolo Vitis in manu quid. 52

C

CAlorem Solis, calore Accipiter exprimit. 32
Capreolus Vitis ex tutulo emergens quid. 34
Capreolus quid. 52
Caracalla studiosus superstitionis Aegyptiacæ. 12
Causa imperfectionis huius Obelisci. 15
Causa cur abolita sint Templa Isidis, cur restituta. 11
Catena Heracleotica. 25
Catena quid. 48
Cham in magicis artibus vsus charactere crucis ansata. 42
Circulus quid. 52
Columnæ de quibus Iamblicus quales fuerint. 19

Conditor Templi Isidis non certò constat. pag. 11
Cur Serpens Ophta ab Aegypt. dicatur. 36
Cur in Comasijs sceptrum Vpupa capite insignitum tulerint. 38
Varia de hoc hieroglyphico sententia. pag. 38
Crux Ansata quid. 24
Crux Ansata, siue character Tauticus, vitam venturam multi indicasse censent. pag. 41
Crux Ansata vehiculum spiritus Mundi significat. 42
Crux Ansata idem quod Tau Hebreorum à quibus Aegyptij eam acceperant. 44
Crux Ansata diuinæ mentis motum in omnia diffusa notat. 44

D

DEcretum quo anno de abolendis Templis Isiacis factum sit. 11
Dei attributa. 17
Dei effectus cerni, natura minimè à nobis potest. 57
Deus supra Lotum sedens quid. 17
Deus immobilis omnia mouet. 17
Deus cærulea veste indutus cur pingatur? pag. 57
Deus omnia continet, & est omnia in omnibus. 92
Deus intelligendo omnia facit. 107
Descriptio Adytorum. 111
Dæmones quæ tolerare nequeant. 114
Dæmones cur obediant. 114
De Obeliscorum, quæ columnæ Mercurij dicebantur, arcanis. 122
Digiti 30. in Scarabæo quid notent. 28
Districtus Isæi. 135
Diuersitas significationis serpentum. 37

E

ELementa quatuor indigitabant 4. differentibus coloribus quibus lapis constabat. 21
Effatum de Iside. 101
Epies Phœnix de aspide. 35
Epies Isidis apparitione sanatur. 103
Exempla adagiorum. 18
Explicatio moralis de fluminibus Paradisi. pag. 86
Expositio Symbolorum. 51
Expositio Sacræ Tabulæ. 51
Expositio Animæ pennatæ. 87
Expositio schematismi. 99
Expositio symbolorum. 108
Expositio symbolorum, & mensæ sacræ. pag. 110
Expositio Schematis. 113
Expositio Symbolorum. 115
Expositio figuræ. 138
Expositio statuæ. 138
Expositio simulacri secundum partes. 142
Expositio symbolorum. 130

F

FElicitas politica, quò durabilis foret. pag. 106
Figura Scarabæi deest in pyramidio alis extensis. 23
Forma varia Scarabæorum. 26
Fragmentum in Coll. Rom. 134
Fragmenta varia Aegyptiaci cultus, quæ in districtu assignato reperta sunt testantur in loco supra descripto fuisse Isæum. 8

G

GLobus quid. 52
Gradus Idearum. 94
Græci Aesculapium per Serpentem exprimebant. 35

Græci Philosophi Aegyptiorum discipuli. pag. 144

H

Habitus sacrificulorum. 97
Habitus Mystæ in Adysis sacrificantis. 108
Habitus Sacerdotis. 111
Hebræi Aegyptiacis ritibus afficiebantur. pag. 112
Heliogabalus Sacerdotem Solis se appellare voluit. 12
Heptapyrgion quid. 74
Hieralpha significatio. 69
Hierogrammatismus magnorum arcanorum. 25
Hieroglyphica non fiunt ex verbis, & nominibus, sed conceptibus arcanis. 17
Hieroglyphica literatura interitus. 15
Hieroglyphicorum Aegyptij in dispositione regulas certas habent. 3
Hieroglyphica notabant quomodo Imperiũ politicum ad diuinas Ideas constituendum sit. 107
Hieroglyphicum simulacrum, quod primus obseruauit, & manifestauit Fabius Chisius Episcopus olim Neritonensis modo Pont. Max. 126

I

Ibis cur Agathodæmon dictus. 69
Ibium in Serpentes immissio. 69
Inferiora continentur in superioribus. 92
Ingenium Aegyptiorum. 106
Isidis fanum tantopere ab Authoribus celebratum vbi propriè fuerit. 5
Intentio Aegyptiorum in Ideis exprimendis. pag. 95
Interpres ex artis hieroglyphicæ notitia omissa supplet. 24
Isiaci districtus descriptio. 8
Isiaca sacra prohibita fuerunt ob scelera, quæ in ijs committebantur. 12
Isidis Templum iuxta normam Templorum Isidis, quæ in Aegypto præcisè extruebantur. 16
Instrumenta omnia Aegyptiorum mystica ratione conficiebantur. 57
Iuncus Niloticus quid. 49
Isis sub forma Iunceæ colebatur. 8

K

Kriologica symbolica quæ nam sint. pag. 56

L

Latera Obelisci quid notarent dum differentes Mundi in partes respicerent. pag. 75
Litera prima Aegyptiorum ex Ibi desumpta. 69
Litera Δ quid significet. 69
Longæuitas serpentis. 35
Litera Iosephi Petrucci. 4

M

Mesitica seu Mediatoria statuæ Quæ. pag. 128
Magiæ Origo. 105
Miracula per virgam Mosis. 43
Misticè quid noteut Nomina Isis, & Typhonis. 143
Monumentorum Roman. granditas. 1
Moses contrarias leges Aegyptijs constituit. pag. 81
Mundus Politicus iuxta Archetypas rationes in Mundo intellectuali existentes administrari debet, vt conseruetur. 74
Mundus quadruplex Aegyptiorum. 87
Mundi cum Paulina in Isiaco Templo stuprum. 13

Mistica figura Obelisci congruum lapidem eligebant. 21
Mysta in Adyto sacrificantes. 115
Mysteria sacra abscondi debent, non omnibus propalari. 85
Mophta Numen aquæ præses. 37

N

Natura Draconis omniformis, seu papilionis. 49
Nili fluxum, brachium cum manu digitisq; exprimit. 52
Noctua quod symbolum. 76
Nota C.D. quid. 24
Numinis supremi influxus in inferiores Mundos. 24

O

Obelisci inuenti symmetria. 13
Obeliscus ex pyrite constat, quam vulgo granito rosso vocant. 14
Obeliscus inuentus imperfectus est. 14
Obeliscus quando, & quò tempore effigiatus sit. 15
Obelisci figura Mysteriosa. 19
Obeliscus symbolum totius naturæ, & materiæ. 19
Obelisci dicebantur Solis digiti, & cur. 27
Obeliscus olim à Sothi Rege Aegypti erectus. 132
Obelisci Campi Martij portio. 132
Obelisci fragmentum in Regione, quam de la Regola *vocant.* 136
Oraculum Zoroastris. 130
Oraculorum origo. 103
Ornamentorum mensæ expositio. 110
Origo Crucis ansatæ. 42
Osiridis sacer Crater quid. 72
Ortus, & propagatio disciplinæ hieroglyphicæ. 79
Osiridis, siue Solis effectus notabat per Scarabæos. 27
Operationes Scarabæi analogæ ad Solis operationes. 27

P

Papilio Dracontomorphus quid. 47
Papilio quid. 76
Papyracei Tyrsi significata. 50
Panna figura quid notet. 57
Pes vnus, aut duo pedes quid. 51
Piscium hieroglyphicum exponitur. 133
Primogenia Mundi origo. 20
Prouidentia Dei. 107
Psellus in oraculis. 121
Pyramis lucida, & tenebrosa quid. 20
Pythagoras Aegyptios imitatus omnia per symbola docet. 84
Pythagoricum silentium in quo consisteret. pag. 85
Pythagoras, vt Adyta adire posset circumcisionem admittit. 112

Q

Quid per nauis gubernationem. 17
Quid baculo Vpupæ capite circumplicato noteut Aegyptij. 34
Quid per proprietates Serpentis expresserint. pag. 34
Quid Serpens in circulum tortus. 36
Quid squama, & sibilus Serpentis indicet. pag. 36
Quomodo 4. elementa per Serpentem exprimerent. 36
Quid per Papilionem. 49
Quid fignent in Tabula sacra Circulus, brachium, ara, catena, Vas Niloticum. 53
Quid Aegyptij per pyramides indicent. 70
Quid ascensus, & descensus animarum. 76
Quid amor. 89
Quomodo Aegyptij inquirebant scientiam diuinandi. 103

Quo-

Quomodo Aegyptij ex ordine rerum vnam supremam mentem esse debere repererint. pag. 107
Quid Mystæ per minaces voces significarent. 115
Quantùm Aegyptij incumberent studio sapientiæ. 143

R

Ratio trahendi Animam Mundi per sacrificia. 97
Religio Trismegisti abit in superstitionem. pag. 82
Rex per Scarabæum expressus. 74
Romanorum in Aegyptiacam superstitionem pronitas. 11
Romanorum veterum potentia, & opulentia. pag. 11
Ritus, & cerimoniæ. 130

S

Sacerdotes Mysteria per symbola abscondunt. 84
Sacerdos Dei-formis quantum possit. 114
Sacra Scriptura. 18
Sacra Scriptura in plerisque nil aliud, quam mysticæ rerum doctrinæ. 84
Sacrificaturi ad quid attenderint. 96
Scarabæus varia signat. 25
Scarabæus viua Solis imago. 27
Scarabæi affinitas, & similitudo cum Cœlo. pag. 28
Quid per pilulas quas versat signetur. pag. 28
Scarabæus refert Opificium Mundi. 29
Scarabæus quid. 24
Sceptra insignita capite Vpupæ quid. 24
Scriptura prouerbialis. 18
Segmentum circuli inferiorem Mundum notat. 50
Serapæum, siue Iseum quid propriè. 6
Serapæi districtus. 8
Serpens quid. 24
Serpens, siue Aspis, quid. 34
Serpentis symbola. 34
Serpens vitæ symbolum. 130
Septa quid: cur Ouile dicta. 6
Silentij Aegyptiaci causa. 83
Sol supramundanus Obelisco notatus. 21
Situs Templi Isidis. 6
Statua hoc eodem in loco Osiridis tempore Vrb. VIII. P. M. reperta. 8
Statua ex Lydio lapide inuenta cum Obelisco. 8
Statuæ polycharacteristicæ. 117
Statua Mesitica Romæ in Palatio Farnesiorum. 125
Superiora gaudent inferioribus, & hæc illis. 96
Superiora in inferioribus, & in superioribus. 23
Symbolorum duplex ratio. 84
Symbola Tabulæ sacræ quid significent. 74

T

Tauticus Character efficax amuletum Aegyptijs. 45
Varia huius characteris forma. 46
Templum Mineruae non idem fuit cum Isidis Templo. 2
Templi Mineruae descriptio. 10
Templum Mineruae in Templum B. Virg. cessit. 10
Thaustus mysticè, idem quod Accipitrinus Osiris. 31
Theologia Mystica. 84
Triplex crater Loti flore insignitus. 48
Traba sacra quid. 53
Triplex Aegyptijs vsitata literarum ratio. pag. 18
Trismegisti intentio in disciplina hieroglyphica. 82

Va-

V

Varietas, & multitudo reliquiarum, quae hodiè reperitur. 2
Variè Osiris siue Numen solare exprimitur. 30
Upupa 7. colores habet. 39
Vpupinum sceptrum septies in Tabula Bembina ponitur, & cur. 40
Upupae proprietates. 40
Vpupae caput semper Tau adiunctum habet. 40
Vpupae Crista, Lunae symbolum. 39
Vas Niloticum. 48
Variae Amuletorum classes. 71
Utilitas Idearum. 94
Vis sacrificiorum ritè peractorum iuxta veteres. 96
Virga Mosis signata charactere Crucis Ansatae. 43

Z

Zeuta quid. 37
Zoroaster quid per animam alatam indicaret. 21

FINIS.

SOPRA LA PRESENTE OPERA

SONETTO

DI

GIOSEFFO PETRUCCI ROMANO.

ROMA fatta Gigante, erſe alle ſtelle,
Per emular col tempo, il tempo edace,
Obeliſci immortali: e al Sol fugace
Tributò ſopra il ſuol raggi, e facelle.

Hora vaſta, e pompoſa, erge più belle
Merauiglie, Teatri: e tutta audace
Suiſcera dalla terra Guglie; e sface
Bronzi, per gareggiar queſti con quelle.

Ma ſtupore non fia: poiche di Piero
Soura l'immenſità de i Monti d'oſtro,
Sà formare, l'Atlante, vn Cielo intero.

O' Potenza, ò Virtù del ſecol noſtro!
Perche, ſe quella eterna vn marmo altero:
Queſta vita gli dà, col ſolo inchioſtro.